BIBLIOTECA NAZ.
XLIII
B
57
NAPOLI

III
B.
57

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIII
B
57
NAPOLI

57

ORATIONES
ET EPIGRAMMATA
IN LAVDEM
B. MARIAE
VIRGINIS
DEIPARÆ.

AVCTORE

Dom. prof. neap. Soc. Jes.

IO: IACOBO PALÆMONIO
EPISCOPO MARTIRANI.

SCILIANI M.DC.LXXXV.

Per Marium Barone Romanum
Impreſſorem Epiſcopalem.

Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

DEIPARAE
VIRGINI
MARIAE.

Dominæ, ac patronę ſuę.

QVO debuerint, niſi tuo hęc meę mentis imbecilla pignora prodire ſub nomine, Auguſtiſſima Diuina Imperatrix? Terreno tutore non egent, quę ſuperni numinis titulo decorantur. Voracem temporis dentem non metuunt, *Ec.*
quę referunt lucem, cuius ortus eſt ante *24.*
ſecula. Eant, qui facta hominum ſunt *Pſal.*
locuti, et inanium colorum, purpurę, et *16.*
oſtri tegumentum implorent. Qui caducæ terrarum dignitati ſunt nixi, et leuium adhęſionum, ſceptrorum, et coronarum fulcimento ſuperbiant. Sibi habeāt honores, ſibi imperia, ſibi prouincias,
ſibi alia pręclarę laudis inſignia: me in *Pſa.*
vmbra alarum tuarum ſperare iuuat: tuę *56.*
voluptatis torrente confirmari delectat. *Pſa.*
Quid enim in terris mihi deeſſe poterit, *35.*
ſi famulatui tuo videbor adſcriptus, ad *Apo.*
cuius pedes declinant aſtra, cuius nuti- *12.*
bus elementa reguntur, ob cuius gratiā *Pro.*
conſtituta ſunt mundi primordia, ſine *8.*

cuius interuentu Deus compoſuit nihil. Patens theſaurorum abyſſi, cui vultus
Pſ.43 tui coruſcat illuminatio. Tecta ſolum
Eccl. cernuntur fortunæ conſilia, cui lumē tuū
24. indeficiens nunquam luxit: mortis horrore duntaxat concutiuntur, qui ſegnes non operantur in te. Vix ipſè tuis laudibus operam nauare cępi, cum noua mihi ſpes ſalutis affulſit, aduerſos vidi quieſcere ventos, fluctus reſederunt, riſit cœlo ſerenitas. Mundi pererro Oceanum meorum ſcelerum metu ſollicitus, tua tamen pietate ſecurus. Tot vitę diſcri-
Te. mina ſuperare non poſſem, niſi tuis flati-
16. bus ſanctę ſpei excitarer: triſtitia mea toties verſa non eſſet in gaudium, ſi in me oculos illos omnibus ſalutares non con-
Pſ. uertiſſes. Vt meam tuę Maieſtatis in gre-
54. mio repoſui curam, proſperos iugiter habui vltra vota ſucceſſus. Quoties, quod erat in votis, in manibus adfuit, et quod nondum adhuc cupiditas optare pręnouerat, adeptum erat. Quem latet quanto langueſcas amore mortalium? clementiā cum beneuolentia copulas, gratias gratijs cumulas: credis pręterita ſint obliterata, ſi deſinas: te miſericordem fuiſſe non putas, niſi ſemper miſerearis. Tu cū
Deu. fulmina ruunt è cœlo, foues vitam, et
32. ſanas: quò ſagittas cruore ebrias proſpicis debacchari, obtutum figis, et pacis abundantia depluit: quò vides terram flammis attonitam ſuis ſedibus commo-

ſceri, fontem pietatis aperis, et remeas
quies. Rectè profectò nec terrę, nec cœli
regionibus imperium tuum terminas, ſi
charitas regni non patitur limites. Locis
omnibus ades, omnia tuę ſunt plena be-
nignitatis. Non iam modò, ſi viueret,
Dauid, eſſe ſine adiutorio queri poſſet. *Pſ.*
Hanc modo nouitatem miratus, aura ſi 87.
veſceretur ætheria, Solem ad obſtupe *Eccl.*
ſcendum accerſeret Salomon. At enim 1.
inſontibus tantum, et bonis miſericordi-
am adhibes? fallor: reorum etiam admit- *Eccl.*
tis obſequia: alta voce, tranſite ad me 24.
omnes, exclamas. Amas reos, vt qui
mortis terrore non corrigantur, miſe-
rationum facultate ſanėtur. Tela in ocu- *Ca.*
lis habes, in crinibus vincula oſtentas, 4.
propugnacula iactas ~~in collo, terribilis~~ *Ca.*
incedis armata, ſed hoc in habitu prę- 7.
fers plus decoris, et ſpei, quam confuſio- *Ca.*
nis, et metus. Confunditur tartareus Na 6.
buchodonoſor, metuit Babylon: Exul- *Iud.*
tat tamen Genus humanum. Non poſt 14.
hac erit peccatorum peſſima mors: longè *Pſ.* 33
à peccatoribus ſalus non erit. Gaudent *Pſ.*
ſedentes in vmbra mortis, ſi Sole tuorũ 118.
oculorum exoriente euolabunt ad cam- *Luc.*
pos lucis. Hoc vnum pręſertim eſt tibi 1.
cum terrę Dynaſtis diſſidium, quod illo-
rum eſt amplecti felices, tuum inuiſere
laborantes. O quanta eſt tuę lenitatis v-
bertas! tantum epiſtola nō capit appara-
ratum. Aptè ſortita es nomen MARIS,

ſi velut mare, cœlo, et terris beneficio-
rum vndas miniſtrans, in tuis motibus
ſemper es tota, in tuis largitionibus ſẽ-
per immenſa. O quot, ô quales hoc in
nomine radiant dotes! Aliorum in no-
minibus victorias, triumphos enumera-
re, nullius laboris eſt: in tuo prçſtanti-
am, amplitudinem meditari, difficilli-
mum. Me beatum! Cui ab hoc nomine
defluxit eloquium, ab hoc Numine ſur-
rexit opus: opus materia imaginis, quã
arte, felicius. Quis veretur quin omni-
bus ſit acceptum, dum tibi vile non ſit.
Alibi prouenerit ab Artificis cultu pe-
rennitas: hic çternitatem deſtinat operis
argumentum. Accipe, Imperatrix, de-
biti confeſſionem obſequij. Tçdet tuas
glorias non grandiori pertractaſſe co-
thurno: Sed te, dum ſcio, inſtar vnige-
nç tui Numinis humilium, et manſue-
Iud. torum deprecationibus arridentem, non
9. perturbor. Ignoſce, ſi admirabiliora
virtutum tuarum facta recéſere neſciui:
ſi, cum tuarum laudum pelagus intrare
ſum auſus, defeci. Quç tantis reſponde-
at meritis, ingenij vis non eſt; quç tantũ
æquet ſplendorem, diſciplinç magnitu-
pſal. do non reperitur. Cum te concupiuit,
83. defecit anima mea: ſed tu dignata es re-
Eccl. uocare concupiſcentem. Exiſtimaſſem
24. me inhumanum ſi Virgini, ingratum ſi
Eccl. Patronç, ſuperbum ſi Dominç defuiſſé.
15. Qualecunque ſit, quod tibi pendo, non
aſper-

aſpernare vectigal. Potes laudem in ore criminatoris reddere ſpecioſam, ſi vis. Supplices tibi tendo manus, et peto, vt vela, quę ventis tam felicibus in medio vitę repleſti, ne detumeant, niſi colligātur in portu. Opperior, opto, ſpero pedes illos amplecti, qui caput Anguis in *Gē.3.* genus humanum efferaſcentis, contrinere: formam illam ſpectare, quę dignitatem auctura mortalium, ab axę deſcendere compulit Deum. Liceat, quos aliquā- *Cā. 6.* ta mente percepi, oculis vſurpare theſauros.

EXiui tandem ad opus meum, ò Le-
pſal. ctor. Niſi Sol Virginis ęſtu feruen-
103. tiſſimo ad laborem me compuliſſet, ad-
prou. huc panem comederem otioſus. Quoties
31. radios iaculata eſt Aurora roriferos, et
cā.6. de ſomno non conſurrexi. Poterant alij
pſ. de mane ad vineas pergere, meditatio
62. mea nunquam in matutinis. Vtinam,
4.R. quę in matutinis holocauſta non obtuli,
16. accepta ſint in meridie. Hoc in opere,
nec ſtyli iactantiam, nec hominum aſſé-
tationem expoſcas. Placuit illis vti figu-
ris, quas non ſuppeditat eloquentia, ſed
religio: illis ornari luminibus, quę nō
ab Apolline, ſed à Sole Iuſtitię proflu-
xerunt: alios odi flores admittere, qui-
Cā. bus fulta Numinis Sponſa non eſt: om-
2. nes neglexi colores, ſi renunciauit illa
Cā. ſe nigram. Notas ne quęras, quę ſiſtere
1. valeant ventos: quę pręcipiti ſe confe-
rant fluuio, ſaxa, ſyluaſque ſecum tra-
henti, ne ſperes periodos. Si quam offé-
Cā. dis ſuauitatem, à labijs fauum diſtillan-
4. tibus hauſi. Si quem miraris ornatum,
Cā. decidit in ſcriptionem à facie illa deco-
2. ra. E flumine, cuius impetus Dei ciuita-
pſ. tem lętificat, amplificationes, et motus
45. arripui E virga virtutis, quam Domi-
pſ. nus emiſit è Sion, vbertatem argumen-
109. torum deſumpſi. Debuiſſet ſtylus à cri-

ne

ne illo artis ſagittariæ conſcio iacula in *cã*.4.
animos didiciſſe torquere, ſed vanitas e-
xercentis inhibuit. Debuiſſent à lampa- *cã*.8.
dibus illis ignis, atque flammarum igni-
ta videri ſchemata; et in corda vibrare
faces amoris, ſed gelu riguere ſcribẽtis.
Quicquid aſpicis maieſtatis, à Virginis
humilitate deducitur. Quicquid intueris
venuſtatis, à Sponſę ſimplicitate dema-
nat. Nefas reor, mollia, quę mores cor-
rumpant, effingere verba: temerarias,
quę populentur aſtra, adhibere metapho- *Ecc.*
ras. Recedant hinc procul ſenſus, qui fi- 37.
deles menti non ſunt: abeant hinc longè
voces, quę tartara, cœlum non mouent.
Delectent hęc illos, qui meditantur ina-
nia, qui aſſentationum carminibus ac- *pſ*.2.
quieſcunt: quorum in ore, quorum ad
aures vnquam nec ſedit, nec appulit ve- *pſ*.5.
ritas. O miſeros! ambulare gaudent in *pſ*.
magnis, et à vanitate non diſtant. Faſtu, 130.
pompaque graues colorant in fronte lę- *pſ*.
titiam, et internos habet mens ſcelerata 143.
carnifices. Tyrannorũ (ſi nunc temporis
ſunt) exoſa mihi ſunt nomina. Fuerunt
iam Reges quorũ maxima fuit laus ex-
tuliſſe virtutes, fugaſſe pauperiem, de-
bellaſſe fortunam, hominique nouam
conſtituiſſe ſeriem rerum. Quis modò
ſuperborum ſordibus nõ ſuccumbit, aui-
ditate non vritur, fortunę non ſubiacet,
imperij ſolium non inceſtat? O virtutum
oblitos, religionis vix memores! Non

eſt

eſt mundi locus, in quo non flagret veſani furoris incendium. Indiſcreta felicium pediſequa eſt inſania: nulli propemodum contigit alijs pręeſſe, et rationi ſeruire, abundare diuitijs, et vitijs indigere. Non putant ſe legibus eſſe ſolutos, ſi luxurię non laxant habenas: dignitatis apicem attigiſſe non cenſent, niſi deſpiciant populos. Quid ſuperbiũt? quid gloriantur? auro ſe iactant, an poteſtate? Quid nobis cum auro? fluat auro Pactolus: tumeant auratis arenis flaueſcere flumina, quę ſemper marino gurgiti deuoranda ſe prębent. Quid nobis cum infulis, cum coronis? Superbiant coronati nubibus montes, qui iugiter miſſa de cœlo fulmina verentur in verticem. O irritos conatus meos, ò fruſtra ſuſceptos, et exhauſtos labores, ſi pręmia poſcerem à Throno mortalium, ſi lubricam pręſtolarer mercedem in terris? Quas de ingratis non haberem quęrelas? quas in ſuperbos non acuerem indignationis ſagittas? Virgini credidi me-
Ecc. as ſpes, cuius flores, ſunt fructus hono-
24. ris. Sponsę mea vota commiſi, cuius di-
Cã. lectio, quantumuis ſit fortis, vt mors,
8. immortalitatis gloriam pollicetur. Virgini, ante cuius pedes iacet temporum crudelitas catenata, Mundi fraus coercita, domitum omne ſcelus. Sponſę, cuius capiti imperium inſidet vniuerſum,
ep. formant aſtra coronas, augmenta conflu-

unt gratiarum. Vtinam hanc ſemper a- 12.
maſſem, vtinam hanc à iuuentute mea *Pro.*
ſemper exquiſiuiſſem. Non illuc adiſſem, 4.
vbi bonę ſileſcunt artes, debacchantur *Jap.*
infames, vbi oculi à cordibus diſſident, 8.
primis extrema non congruunt. Vbi ni- *Eccl.*
hil de labore percipitur, niſi mœror: ni- 5.
hil diſcitur, niſi ignorantia litterarum.
Arbitror ibi turpitudinem coli, vbi vir-
tuti locus non eſt: mortem ibi peſtilenti
flatu graſſari, vbi ęternę ſalutis aura nò
ſpirat. Infelix humanum Genus, ſi virtu-
tibus, ſi bonis artibus ſuppetias non ve-
niſſet allaturus è Montibus ALEXAN-
DER. Vt eius ſydus fulſit in Vaticano,
illicò apparatus armorum derelinquere
ſperauit Europa. Vt viſa eſt romanis
collibus eius Quercus vireſcere, illicò
pacis abundantiam auſpicatus eſt Orbis.
Qui Chriſti bonus odor omni tempore 2.*co.*
fuerat, vere nouo Vineam Chriſti fœcū- 2.
daturus apparuit. Qui implicatiores
Gordio nodos pietatis zelo, non ferro
enodare debuerit, beatioris ALEXAN-
DRI ſortitus eſt nomen. Quis vnquam
audiuit animi ornamenta reſurgere ad
mortis ſonitum? Conijciam aduenisse
vitiorum exitium, quando virtutes ab
vrna proſiliunt. Dicam illum non eſſe
mortalem, ſi mortis memoria ſibi parat
ęternitatem. O benè ominatos nos, qui-
bus feliciorem ſęculorum ordinem con-
ceſſum eſt inchoare! Percipimus modò
ter-

terras periculorum diſſolui formidine, veteriſque fraudis deleri veſtigia. Iam patet omnibus honoris, et glorię campus: honoratus eſt, qui probatus: glorioſus eſt, qui virtutum radices alit in pectore. Aſſueſcite ALEXANDRI moribus Principes terrę, ad cuius reuerentiam aſpicimus componi Mundum, perduelles mutare conſilium, hęreſeos hydras deficere, obſtupeſcere Reges, peregrinari Reginas.

ORATIO I.

DE IMMACVLATA

Beatiſſimæ Virginis

Conceptione.

QVod ſpecimen nouę lucis, Mortales, intueor? Quem decorem inſolitę admirationis offendo? animus prę lętitia geſtit, & lingua fari non audet: viſcera gaudiorum aura tumefacta flammeſcunt, & interclusa faucibus hęret vox. Forſan, cum omnibus exultandi prębet occaſio, mihi tantum ſilentij indicitur argumentum? Forſan tenebrę, quę modo volant è mundo, fugaces, meo ſolum congeruntur in pectore? Quid putem? Opus apprehendi nunquam vberius, & mea ſterileſcit oratio: nunquã pleniorem contemplatus ſum apparatum, & meum euaneſcit eloquium. Regalis infãtis noua forma deterret oculos. Angelorum oracula hominis non ſonãt initia: ſapit immortalitatem lumen, quod circum rutilat indeficiens. Id temporis, in terris concepta ſine ſentibus roſa eſt, expers occaſus aſtrum, in cælo formatum eſt. Iam tu potes lachrymabilis Aetas ferrea *Ec:* *cãc.* 24 *apd.* *c.* 12,

rea tubarum conticere clāgoribus, obli-
uione cędes obruere, millionem catenis
dare, teterrimos infelicitatum intermit-
tere influxus. Ecce inter tot laqueos ſer-
uitutis, inter tot captiuorum querelas
Cā. vox Turturis libera audita eſt: ecce grū-
c.2. narum hyeme ſęuiente, cœloque infe-
ſtiſſimas agitante procellas, malorum
Cā. ignarus apparuit flos? O qualem pacis
c. 2. cumulum ſperamus in terris? O quanta
deliciarum enaſcetur Orbi ſerenitas? Sa-
tis ſit hactenus duxiſſe in triſtitia dies,
toleraſſe tandiù terram, nòn aliud, niſi
ſpinas elargientem, tanto temporis inter-
uallo ruptas ad mundi perniciem horru-
Ioel. iſſe ſyderum cataractas. Vidimus regio-
c.1. nem depopulatam, humum lugentem,
confuſos agricolas, confuſum gaudium
Hab. à filijs hominum. Vidimus tempus peſſi-
c. 2. mum; perquirebatur quies, & multo la-
borabatur in igne: fons vitę poſtulaba-
Gen. tur, & ſudores latices erupere. Quę tē-
c. 3. peſtas in orbe terrarum non ſauijt? Quis
Nab. ſonus flagelli nòn fremuit? Quantum lu-
c. 3. iſſe luctum à tot temporum monumentis
accepimus, cum Tyranni, cum Reges,
cum populi furiali face bacchantes vni-
uerſum euertere conabantur? Quis tum
non gemuit? Quis non arſit animi cru-
ciatu? Ah non liceat doloris illius reno-
uare memoriam, quo primi defleuere
Parentes? Non liceat ponere illum ante
oculos diem, quo ſuis expoliata muneri-

bus

bus confracta remanſit humanitas? Illinc demanauit afflictio, corriuatus eſt mœror. Quas graues non ſenſit rerum vniuerſitas contumelias? Quot cecidit deuo- *Soph.* rum opprobrijs mortale genus? Siccitas *c. 4.* ſpinarum aduenit, & terram inundauere *Oſe.* nequitiç: Sanguis ſanguinem tetigit, & *c. 4.* cadauerum finis non fuit. Dura ſemper, *Nab.* et ardua viuendi flagrabat ratio: vaga *c. 3.* in perpetuum, volubilisque furebat fortuna. Fuerunt profectò fuerunt ſæculis retrò elapſis tenebricoſi, & lachrymis obruti dies. Exultemus modo, & lætemur. Prope lucis ros eſt: conuerſus eſt *Eſa.* luctus in gaudium. Percipimus ſapien- *c. 26.* tiam ſuæ domus iacere fundamenta: con- *Hier.* ijcimus lapidem è montibus delabentē *c. 31.* ſtaturum fortunę rotam. Quid veſtrum *Pro.* Cœli rorem non datis? Videtis per ma- *c. 9.* nus Omnipotentis fabricatam in terris *Dan.* Auroram, diuiſam à tenebris lucem? In- *c. 2.* cipite defluere in imbrem leuem, diſci- *Zac.* te pluere iuſtum. Sponſi cincinnos ve- *c. 8.* ſtræ noctium guttæ rigabunt, cum tota *Pſ. 73* nocte vagatus, Auroram iſtam, quam de- *Gen.* peribit, inuiſet. Formata eſt intra ſepta *c. 1.* ſterilitatis iſta noua Matuta, ante cuius *Eſa.* ortum vanus eſt labor, otioſus eſt dies. *c. 45.* Quæ non promittitur vbertas Orbi, ſi *Cā.* ſterilitas fœcundatur? Si in fauitia rigē- *c. 5.* tis hyemis apparent flores, qui fructus *Pſal.* expectantur in vere mirabiles? Sed par- *126.* cite Ioachim, & Anna felix par coniu-

gum, ſi ſterilitatis ſub verbo vos nomino. Scio vos divitijs virtutum affluere, cum querebamini ſucceſſionis expertes: ſcio vos indole animi gaudere mirifica, cum poſteritatis extimebatis obliuioné. Non exprobranda in vobis, commen-
Cã. danda ſterilitas eſt, ſi terminatur in flo-
c. 2. rem: non vos deformia è deſerto, ſpe-
Ioel cioſa depromitis, ſi cœli obſtupeſcunt.
c. 2. Placeat vobis empta ſterilitate ſuſpirio-
Hie. rum tanta fœcunditas. Odiſſe non debe-
c. 2. tis huc vſque fuiſſe vos ſteriles, ſi inter locorum ariditates ſuperum epulas de-
Exo pluiſſe, & pollicitæ regionis aditum re-
c. 16 cludiſſe deſerta ferarum, ſat patet. Nihil optabilius tantæ ſterilitatis auſpicio. Decebat enim poſt tot cæcas temporum vmbras, mox oriri ſerenitatis lucem: poſt tot hominum miſeranda naufragia, ſtellam mox adeſſe clementiæ: poſt tot terræ ſterilitates, mox germinum reuerti copiam. Fruſtra poterit poſthac Aether in terræ campos procellarum agmi-
Exo. na commouere, ſi ſecum Tellus habet
c. 31. fœderis tabernaculum. Fruſtra poterunt gratiarum fontes areſcere, ſi quo cœlũ beneficiorum fluentis irrorat, nobis eſt
Iud. Vellus. Quieſcet iam omnis terra, mi-
c. 6. ſertus eſt mundi Deus: quem in furore formidauimus arguentem, in miſeri-
Zac. cordijs commorantem delectabimur in-
c. 1. tueri. Ingemiſce tenebrarum profunde
Iob. Rex, & lucidum huius Auroræ iubar
mor-

mortis vmbram arbitrare: cum videris *c.24.*
illius inceſſum, illam caſtrorum aciem *Cā.*
fateberis ordinatam. Obliuiſcere palmas, *c. 6.*
quas è primęua Parente tuliſti. In horto
deliciarum viciſti; ſterilitatis in deſer- *Gen.*
to ſuccumbis. Quis neget huius Aurorę *c. 3.*
radios Angelum illum ſpectaſſe, cùm de-
ſiit luctari cum Iacob? Humanę naturæ
cedere cogebatur, dum tale ſydus indui *Gen.*
ſpolijs prænoſcebat humanis. Quis non *c. 32.*
dicet reaſſumpſiſſe Deum Virgam De- *Zac.*
coris, ſi renouatum eſt fœdus? Adeſte *c. 1.*
vos, qui ſalutis opera præſtolamini, & *Pſ.*
nunc, quæ poſuit ſuper terram prodigia *45.*
Dominus, noſcite? deleta ſunt bella,
micat arcus fœderis inter nubes: confra-
cta ſunt arma, ſcutorum triumphator eſt
ignis. Tota ciuitas abyſſi commota eſt,
moles inferorum perterrita contremi-
ſcit, terribili cauernæ Draconum into-
nant vlulatu, funeſtiſſimo furiarum bac-
chantium chorus ingemit planctu. Au-
ditis tenebrarum lamenta, infernalis rei-
publicæ animaduertitis vulnera? Nullus
armatorum exercitus Erebi ſedes obſi-
det, & murus ille latiſſimus corruit. Nul- *Hie.*
la ſagittariorum phalanx tartareo ſcep- *c.51.*
tro minatur, & vniuerſæ terræ malleus *Hie.*
ille confringitur. Vna mulier hæbræa *c.50.*
fecit confuſionem in domo tartarei Na- *Iud.*
buchodonoſor Regis. Tu Virgo illa es *c.14.*
truculenti Principis interemptrix, tu po-
puli liberatrix, tu Barathri formidabi-

lis terror, tu deſperantium ſalus? Adhuc aluo materna incluſa es, & tuorum vndique radiorum lumen erumpit. Adhuc latebris materni ergaſtuli caput tuum
Cā. pulcherrimum delitet, & vnguentorum
c. 1. ſentimus odores. Procul à principijs tu-
3.re. is eſt Satan, procul à vijs tuis occurſus
c. 5. malus. Placuiſti oculis ætherei Regis,
Eſt. & ſoluta legibus declararis Auguſta.
c. 5. Placuiſti ſapientiæ Dei, et columnato
Pro. collocaris in throno. Placuiſti ſic toti
c. 9. Cœlorum ſenatui, vt ſit nemo, qui te
Pſa. Reginam non pręcognoſcat, qui te vir-
44. tutum varietate circundatam non miretur, qui non tibi fructum gaudij cumulatum, reſtitutam innocentię felicitatē,
Pro. cœlos acceptos referat renouatos. Quā
c. 11. non inuenit gratioſa Mulier gloriam?
Ecc. Quæ gratia ſuper gratiam mulieri ſanctę
36. conceſſa non eſt? Expendite Virginis admirandam originem, conſiderate omnes Virginis dotes, circūſpicite omnia Virginis ornamenta? Plena Deo ſunt omnia. O quanta res, ò quanta latet ſub hoc mēſe lætitia? habet iam humana natura reparatricem, Orbis terrarum patronam, miſerorum conditio perfugium. Felix tempus, & omni poſteritati colendum, cum tantæ ſtatuta ſunt monumenta ſalutis, cum ruinæ tam magnæ ſublatus eſt mœror, cum ab omnium ſcelerum colluuione vindicatus eſt Orbis. Tempus ante ad perterrēdos mortalium animos;

idem modò ad conſolandos accommoda-
tũ:quo antea ſuſtinebamus ſyderum gra-
uitatem, ſuauitatis modò preguſtamus.
delinimentum· è quo prius emergebant
timores, & mala, producitur iam decus,
& ſanitas. Iactent ſe Kalendæ martiæ fu-
iſſe quondam annorum voluentium au-
ſpices, beatumque ver amœnitate florũ,
& viriditate ſegetũ peperiſſe. Gloriare,
intumeſce December dies toto anno tu- *Nũ.*
liſſe ſereniores, ſi ſtellę tandiù expecta- *c.24.*
tæ præſignas aduentum, ſi ſeculum pacis
inchoaſſe prænuncias. Parum refert nu-
bibus quadoque turbari, ſi tam firmæ,iu-
cundæque trãquillitatis fers omen.Prę-
clariſſimæ laudis conſequeris inſignia:
lucidiſſimo illo, qui Chriſtus eſt, nota-
beris lapide. Reſpue iam tutelam Veſtę? *1. ad*
Verè immortali dignatus es patrocinio. *Cor.*
Nomen aſpernare amazonium? auguſtio- *c.10.*
ri decoraberis titulo.O quis è cœlo de- *D.*
ſcendet ignis hyemis fugaturus ſæuitiã? *Luc.*
O quam præparabit clementia vitam tẽ- *c.12.*
peſtates expulſura Aquilonis? Vates il- *Pro.*
los, qui tot annis, tot ſæculis ante lucis *c.11.*
tam neceſſariæ prædixere nitores,è ſom-
no excitari nunc velim. Propiorẽ aſpi-
cerent Solem, in quo ſuum poſiturus e- *Pſ.*
rat tabernaculum Deus. Aſcendentem *18.*
intuerentur de Ieſſæ radice florem, ſu *Iſa.*
per quem Spiritus Domini requieſcet. *c.11.*
Venerarentur iam meliora, quæ intrin- *Cã.*
ſecus latere cognorunt. Fontem ſignatũ *c.4.*

prorumpere cernerent, è quo torrentē
Pſ. voluptatis vniuerſus hauriret. Qui a-
35. mor excitatur in cordibus? Quæ virtus
animos reuocat? Sed ego de conceptu
tam glorioſo quid plura diſputem? Ve-
reor ne Virginis cum amplificare velim,
imminuam gloriam. Quæ vox hominis
tantum veſtigando genus orationis, li-
cet ferrea, non deficiat? Quæ mentis hu-
manæ fœcunditas tantum meditādo my-
ſterium, licet omni ſententiarum imbu-
ta vi, non areſcat? Liuet Rhetorum co-
lor, vbi veritatis penicillum adhibet
innocentia: caligant artis dicendi lumi-
Cā. na, vbi Sol iuſtitiæ deſignat amictum. Ip-
c: 4. ſa puritas Virginis ſuarum laudum am-
cā. plitudinem narrat, ipſa Virgo pro ſe
c. 2. perorat. Contemplamini faciem quàm
pſa: pulchra eſt? percipite vocem, quàm dul-
97. cis eſt. Exultate (inquit) plaudite Gen-
pro. tes: notum fecit Dominus ſalutare ſuū,
c. 8. cùm in viarum ſuarum initio me poſſe-
pſ. dit, & ſicut ouis, quæ perijt, non erraui.
118. Cùm dilectam Deo eſſe me noui, & ſu-
pſa. per me gauiſurus vnquam hoſtis non e-
40. rat, in medio terræ præſenſi ſalutem. Po-
pſ. terant alij cadere in retiaculo eius, ipſa
73. donec tranſiui, ſingulariter fui. Quæ
pſa. magna mihi fecit, qui potens eſt? Intra
140 inimicorum caſtra Principem vici, & e-
D. uaſi impolluta: intra Abyſſi tenebras
Luc caput anguis contriui, & mea lux extin-
c. 1. cta non eſt. Ex meis triumphis delicias

ve-

veſtræ pacis arguite. Inextinguibile eſt *Iud.*
lumen meum. Macula in me nulla eſt; *c.13.*
& ſi nigra ſum, nimio charitatis ardore *Gen.*
decolorauit me Sol. Nulla mortis ſagit- *c.43.*
ta meum cor penetrauit: ſi vulnerata ſũ, *Pro.*
meum vulnus amoris eſt. O nos beatos, *c.31.*
cùm propè tantæ lucis aſpiciemus exē- *Iſa.7.*
plar? multas viderũt tot acta ſæcula pro- *cã.*
gigni Reginas, quarum nulla, neque *c. 1.*
tam diuturnam attulit lætitiam, neque *4.re.*
tantam: quarum nulla, nec videri tam *c.19.*
ſpecioſa potuit, nec cogitari. At quan- *cã.*
do progredieris, ò Pulcherrima Auro- *c. 2.*
ra? Quando lucem tuam, & veritatem e- *pſ.*
mittes? Hactenus iuſtitiæ lumen in mũ- *42.*
do non luxit: in tenebris conticuimus, *ſap.*
in aridum laborauimus: in diebus tuis *c. 5.*
gratiarum putei remanabunt. Cernimus *1.re.*
in veſtibulo tuæ vitæ inimicorum pen- *c. 2.*
dere trophæa, iacere ſub cunis tuis exu- *eccl.*
uias. Sumpſiſti ſtolam gloriæ, quàm ſta- *c.50.*
tim pulchræ dilectionis mater effecta es. *eccl.*
Fortitudinis indumento præcincta es; *c. 6.*
quàm ſtatim à dexrris Dei aſtitiſti Re- *eccl.*
gina? Antequam nata, diceris Parens? *c.24.*
Nondum prodijſti ad auras, & teſtimo- *pro.*
nium laudis adepta es? Meruit tua vir- *c.31.*
tus imperium. Prome iam caput illud *pſa.*
fulgentiſſimum, è quo non tot capilli *44.*
pendebunt, quot beneficia defluent. Ef-
fer iam os illud dulciſſimum, è quo tot
verba non excident, quot flumina ſcatu-
rient charitatis. Nobis, qui te concupi- *ſap.*

ſcimus, te oſtende priorem? Nobis, qui de te fidelia cogitamus, ades præuentrix in foribus? Ades modò, & mundi, quem conſeruaſti, conſpectu, tranquilliſſima fruere? Non delebitur ex animis noſtris tuarum palmarum intemerata victoria, tuorum geſtorum, ſemper erit iucunda commemoratio. dum genus hominum, dum Chriſtianæ Reipublcæ decus exſtabit(quod quidem erit tuis auſpicijs ſépiternum) tuæ laus inaudita victoriæ, tui gaudium immortale triumphi celebrabitur, commendabitur.

DE VIRGINE DEIPARA
Sine labe concepta.

Quam Sacri Vates, et tot cecinere Sibyllæ,
En matris gremio clauſa puella latet?
Illic Elyſÿ trahit ocia, & anguis in illam
Euomere incaſſum dira venena dolet.
Circum tecta ruit: forſan cũ lucis ad auras
Prodibit, laqueis tunc cadet illa ſuis.
His tantum, ô Pluto, cunis deuictus abibis?
Hæc eſt illa tuum, quæ teret vna caput.

De eodem Argumento.

Lethales undæ, veniẽs quibus õnis ad auras
Naufraga primæui tempora ſtiit Adæ:
Siſtite mox curſũ, Genitrix dum ſũma Tonantis
Inſeritur puro Virgo tenella ſinu.

Fluctil us illeſã cum ſeruauiſtis oliuam,
Parcere vos Maris tunc dedicistis aquæ.

De eodem Argumento AD B. VIRGINEM.

Filij, ædificatio ciuitatis confirmabit nomen, & ſuper hanc mulier immaculata computabitur.

Eccl. c. 40.

Vrbs erit ? terris, quæ muros ſãguine cinget,
Signaq; vitalis pandet vbique Crucis.
O quibus illa vijs? plateis quibus illa micabit?
Miror, quod referent cãdida tecta decus?
Patria biſſenæ ſeruabunt mœnia turres,
Poſtis ad ingreſſum ciuibus vnus erit.
Illi quis regni metas, quis tempora ponet,
Si validas poterit tendere Sole manus?
Tu ſuper hãc Mulier regalia ſceptra capeſſes,
O inter cunctas Immaculata nurus,
Exere maternis niueũ caput exere clauſtris;
Hac ex te ſurget primus in Vrbe lapis.

ORATIO II.

IN DIE NATIVITATIS

Beatiſſimæ Virginis.

QVicunque viderit fugatas vmbras è montibus, aerem noua luce fulgentem, campos diffuſo rore gemmantes, nata dicet Aurora eſt: illa profectò eſt. Emerſit è tabernaculis Iacob lumi-
Nu. ne ſuffuſa plurimo, immortalis conſcia
c.24. fati. Ecce virtutum montes errorum tenebris diſſoluuntur, cœlum ſummi iuſtitiæ Solis erubeſcit aduentum, aquæ promiſſionis coaleſcunt in nubem roris? Auditur hinc ſibilus auræ tenuis, reſonat hinc vocibus exultationis exercitus An-
Exo. gelorum. Miſerum me? Quo pacto viſio-
c. 3. nem hanc magnam intuebor? Quo conſilio tantæ lucis cunabula veneraturus
Am. excitabor ad plauſus? Inſonat vox auri-
c: 5. ribus meis, cantica lyrę tuę non audiã:
Eſa. polluta non inficior ſunt labia mea, mul-
c. 6. ta in lingua mea graſſatur iniquitas. Scio tamen, ô fulgentiſſima Aurora, partes
Eſa: lenitatis, quas ſemper agis, in miſericor-
c.16. dia tibi ſolium præparas, & ſuper bonos
Eſa. pariter oriris, ac malos. Non opperiar
c. 6: Seraphim, qui meum os ignito calculo tan-

tangat, & mundet: è tuis tantum radijs *D.*
expectabo beatam ſpem. Iam cerno, quod *Pau.*
annuis: Illam grauitatis, ſeueritatiſque *ad*
perſonam ſuſtinere neſcis in reos, ad cle- *Tit.*
mentiam natura te vocat, ad humanita-
tem conſuetudo te fert: impios tuis lau-
dibus conticere non iubes, immò, quos
tuarum eloquio laudum verſari conſpe- *D.*
ctas, cogis illos formam induere lucis. *Pau.*
O quales iſta pulcherrima Aurora diffū- *ad*
dit ab oculis faces! Nulla noſtræ noctis *Ro.*
prorogata caligine circūcingitur: gem-
mas quibus candicat collum, è Diuini-
tatis Oceano ſumpſit: roſas, quibus pur-
purant genę, è primis illis voluptatis
hortis elegit. Crines in Deum ſpicula *Cāt*
iactant amoris, labia ad alligandum po- *4.*
pulos vittam coccineam conſtruunt: pal-
mam ſtatura æmulatur, vt victoriarum
portendat inſignia. Aequiparantur vbe- *cā 7.*
ra botris, vt daturæ pacis abundantiam
auſpicentur. O Deus hac ſpecie, quam *pſa.*
formaſti, quā maximè delectamur! Pręci- *71.*
puā te ex hoc opere voluptatē percepis *Gen.*
ſe crediderim, cū probaſti, quod feceras. *1.*
Huius reor inſpexiſti decorem, cùm vi-
ctus amore dixiſti, delicias tuas eſſe cū *prou.*
filijs hominum. Illam dicerem Lunam, *8.*
ſed *Luna* cum luce non ſemper eſt: Illā
aſſererem Solem, ſed liber à defectibus
Sol quoque non eſt. Hāc miramini Stel-
lam Scrutatores aſtrorum, & ex illius ſi-
tu, lumine, & motu obſtupefacti mira-

Ec. bilia præſagite? Iſta in altiſſimis habitat,
indeficienti nitore coruſcat, decimo
24. gradu cœli gyrum circuiuit, & terras
Nu. moratur in omni: Erraui, recedite. Non
23. eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in
Iſrael. Augurentur illi, qui in tenebris
ambulant: obſeruent ſomnia; qui nun-
quam vigilant. Diuinitus conſtituta eſt
Pſal. noſtra Virgo: non occulta poteſtate fa-
64. torum, ſed à Deo ipſo electa, & aſſump-
ta eſt. Vnam fortè intelligentiam huic
aſtro aſſiſtentem argueretis? O quot præ-
ſtant illi famulatum exercitus Angelo-
rum! Nunquam ipſius curſum terminari
cognoſceretis, ſi eius periodus gloriæ
propemodum infinita eſt. Aſſecutum eſt
ſolium, quod ad aliud tranſire non gau-
det. Non luſtrat ſaltus, ſed latibula reo-
rum inuiſit. Longè à noſtra diſtat Auro-
ra illa, quæ fines Zodiaci peragrando,
manè quolibet oculis hominum affert
diem: non enim ad nuncianda quietis o-
tia, ſed ad laborum præponendas angu-
ſtias, ſuos lucis terræ radios impertitur:
& quam poſſet communicare quietem, ſi
ſemper illa gradu labitur lubrico, & cũ
greſſu progreditur leni, aut ſtationaria
parumper apricatur; vel patitur, vel æ-
greſcit. Diſſimilis illi plurimum noſtra
eſt. Illa exoriens diei cunas lachrymis
irroratis aſpergit, quaſi deploret mundi
calamitates. Iſta conſurgens ſupernorũ
donorum expromit latices, & gaudium

annun-

annuntiat vniuerſo, dum vniuerſæ ſalutis pollicetur Authorem. Illa fucatis delicijs animos trahit; Iſta veræ immortalitatis beneficio mentes allicit. Illam fabuloſus Iupiter in Reginam aſſumpſit: Huic fecit magna, qui potens eſt. In ſigno Virginis, vbi illa confunditur obſcurata, iſta ſublimatur illuſtris: quippe humilitas, quæ illi contemptũ, iſti gloriam parit. Illa in alterutro tantum hemiſpherio ſuæ lucis apparatus oſtentat, iſta in vtroque ſuorum radiorum ſemper ſpectacula manifeſtat. Quò non peruenerunt noſtræ Auroræ munificentiſſima dona? Quis rorem ſuum campus non hauſit? Quæ ſuis radijs non reluxere cacumina montium? Inter arenoſa littora libyæ à Lunæ cultu deſciſcit Elephas, & huius tantummodò lucis venerationem addiſcit. Exoptant Aegypti ciues nubibus cœlum omne conſperſum, huius duntaxat ſtellæ ſi liceat contemplari formoſitatem: vniuerſam tolerare plagam arétem, huius ſolum ſyderis ſi fortunato rore ſpargantur. Sempiternas hyemes nihili faciunt Trionum habitatores, ſi huius lampadis igne poſthàc foueantur. Iam meditòr huius aſtri fulgore illuſtratum à tot vinculis Barbarorum reſpirare ſolutum Euxinum. Iam conſidero nigras Aethiopum domos ad huius Auroræ matutinum candorem repentè candeſcere. Iam intueor iuxta Germaniæ fines renaſcen-

Luc. 1.

cant. 8.

ſcentem Hydram hauſto huius ætherei floris odore perrumpi. Sed eius virtutum ſunt parua confinia Euphrates, & Rhenus. Totum orbem terrarum, quem ludo circumijt, miraculo peragrat. Quas
Pro. adhuc non detexerat Abyla vias, inex-
8. tinguibili charitatis face veſtigat. Vbique terrarum ſemina lucis inſeuit, & puritatis germina floruerunt. Plaudite, & iubilate Mortales? Illç ad cœlum modo
Gen. pateſcunt viæ, quas caro vniuerſa corru-
6. perat. Tenebricoſum illud, & ignotum pœnitentiæ iter ſenticetis, & cautibus obſitum, plane lucidum factum eſt, ac ſuaue. Tu primum, Ioannes, illuc incedes? Non ſpinas exuturus, quas radix humana progignit, ſed deſerti ſpecioſa lecturus, inhoſpita loca, ferarumque
Prou. teſqua ſubibis? Panduntur illa prudentię
9. compita, vnde, qui conſilio cœlos firmauit: nunc inſtar ignitæ columnæ ſe præbens, nunc in formam candidæ nubis apparens, pollicitas felicitatum ſedes indicauit. O quot animas grandes hinc
Iſa. progreſſuras aſpicio? Iam renidet illa
26. recti anguſta, ſed pulcherrima ſemita, quæ non eum, cui ramus aureus grauescit in manu, ſed cui repente germinat arens virga, viatorem admittit. Hinc vos opum, inaniumque nominum contēptores iturum ſperate? Iam coruſcat admirabilis ille fortitudinis callis, cuius extremum in terris eſt dolor, & mors,
in cœ-

in cœlo triumphus, & palma. Hunc cal-
lem, tu Sponſe ſanguinum curres, vt *Exo.*
Gygas: hinc ad bibendum tui ſanguinis 4.
calicem ò quantos inuitabis amicos? Sed *Pſa.*
quid ſingula conſecter, & colligã? Nul- 18.
lum modò diſcrimen in Mundi pelago *Mar.*
ad portum optatæ patriæ velificantibus 10.
imminet. Vidimus foribus vitæ obuerſa *Can.*
ri horrorem, & minas, vidimus terrarũ 5.
oras alluuione ſtagnantes, vidimus cœ-
lum vltrici flamma cædes eiaculans. Nõ
ætas, non ſtatus, non conditio proderat.
Fuit tempus, ac nimium diù fuit, quo
aduerſis aduerſa metiti ſumus, infortu-
nium teximus calamitate peiori. Nunc
ſtatuta eſt noſtra procella in auram, &
noſtrarum ſiluerunt fluctus iniquitatum, *Pſa.*
reddita eſt hominibus pietas, vrbibus fi- 115.
des, Mundo pax. Iis, qui comparantur
iumentis veniæ recluſus eſt aditus, iuſtis *Pſa.*
gloriæ cumulatum eſt gaudium: habẽt 35.
ſua verba lętitiæ miſeri, ſua verba gratu-
lationis felices. O noſtrũm ſanè ſummã
felicitatem, qui talis patrocinio ſtellæ
dignamur? O nos nimium fortunatos!
Quid enim fortunatius nobis, quibus op-
tanda iam proſpera fortuna nõ eſt, ſi no-
uum aſtrum fortuna auſpicatius ridet!
Aliarum ſtellarum ſint opera, regnorum
coronas, & ciuitates euertere, plurimo-
rum exitio vnum extollere, proſcriptio-
ne multorum vnius confinia dilatare, la-
queos, & catenas adducere, flagellis, &
mor-

mortibus inſæuire Gaudet iſta indiſſolubili pacis fœdere ſociare prouincias, inter homines charitatis incendia pro-
Iſa. uocare, auferre ab oculis omnium la-
25. chrymas, & opprobrium, adornare cunctis iter ad triumphos, & regnum. Neſcit iſta pietatis oblita mortales anxietatibus onerare: irruere in genus humanum formidabiles Erebi gygantes non patitur: maieſtatis imperio nequit vti, quin tituli clementiæ recordetur; virgā non exercet iuſtitiæ, quin fontes excitet gratiarum. Sub huius auſpicijs homo
Iob. non naſcetur amplius ad laborem? Quid
5. immortalitatis ſub tanto ſydere terra non gignet? Quid quietis annus non feret? Gaudete vos Filiæ Sion? Cernitis cui felici veſtram fœcunditatem aſtro vouetis? Cui ſpes veſtras tranquillitati
Iſa. ſeruatis? Fractum eſt iugum, & ſeruitu-
39. tis vincula euanuerunt. Salue, ò lux,
pſa. cuius radios expectauimus diù, cuius
18. calorem toties ſuſpirauimus. E tuis luminibus veſtigia immortalitatis agno-
Sap. ſcimus: ē tuis facibus corruptionis inte-
17. ritum experimur. Non amplius tenebrarum catena ligabimur, non amplius ti-
pro. mebimus à frigoribus niuis. Exitium
31. Erebo nunciatura, terribilis inſtar cometæ crinitis: nouam prædictura humano generi dignitatem, ſignum magnum
Apo. videris in cœlo. Corrupta eſt radix hu-
12. manitatis, vt tu miniſtra ſalutis expe-

ctare-

ctareris: inductum eſt crimen, vt tu culparum contingeres emendatrix. Nitidiſſimum vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis, admirabile nomen tuum complectetur vtrumque mare. O quot ſunt, qui te viſa, te recepta, vixiſſe iam ſe prædicant ſatis! O quot ſunt, qui te patrona, te duce, nunc magis eſſe viuendum exclamant! Obſtupeſcite cœli, & veſtrorum motuum moderatricem accipite. Decurret ſæculorum ordo felicior, fulgebit in Orbe candidior dies. Et tu ſtellantis Ætheris Artifex, diſce iam cantiunculas decantare. Ecce conſurgit Aurora, cui paras putationis tempore flores: venit Amica, cui vulneratũ cor exhibes. Adeſt Columba, quam in hortum deliciarum inuitas. Mox illa tuis oſculis inhiabit, & ſub vmbra illius, quam deſideraueras, ſedebis. Illa oculos in te vertet, & tu cœperis auolare. Sonabit vox illius in auribus tuis, & tu repentè langueſces amore. Triumphate omnes Chriſtianæ Reipublicæ fortunatiſſimi Ciues iubar hoc noſtris illuxiſſe temporibus, & heù nos excordes, ſi tali Amicæ vulneranda corda non ferimus. Exanimes, ſi tali Columbæ dealbandos animos non ſubijcimus: cæcos, ſi talem ad Auroram purificandos oculos non attollimus.

pſa. 44.
pſa. 71.
Hier. 2.
Can. 6.
Cã. 2.
can. 5.
can. 1.
can. 2.
can. 6.

DE

DE NATIVITATE

Beatę Virginis.

Cōdere diſtulerat Mūdi primordia Numē:
Noxia caſuri crimina norat Adę.
Aſt vbi vēturā meminit ſine labe puellam:
Protinus hoc mūdi ſurgere iuſſit opus.
Criminibus preſſus cū fortè labaſceret Orbis,
Qua fulciretur, gigneret illa Petram.
Naſci, Virgo, tuū tanti eſt. Seù machina
Fiat, ſeù duret, gloria ſola tua eſt. (*Mūdi*

De eodem argumento.

E ſterili Matris Virgo dum viſcere prodit,
Inſolito gaudens lumine Mundus ouat.
Sic vbi nata inter cernuntur lilia ſpinas,
Totus odorato flamine ridet ager.
Creditur hac nata florem prodiſſe nitentem,
Si nata ſpirans vndique fragrat odor:
Et niſi tīcta foret Veneris roſa ſāguine, poſ-
Quilibet hac nata dicere, nata roſa eſt. (*ſet*

De eodem Argumento.

Ideò tanto tempore defuerunt hominibus fluenta gratiarum, quia nondum interceſſerat aquæductus. D. Bernardus.

Hactenus irati iuſtiſſima dextra Tonantis
Ictibus in terras, quod data culpa, ruit.

Hu-

Humida cæleſtum retinacula ſoluit aquarũ,
Vltriceſque alto miſſit ab axe faces. (,præſts
Nōdũ aderat terris, quę ſcanderet æthera
Eiaculari oculo, nectere crine Deum.
Nunc illa exorta eſt, circũdata Solis amictu,
Biſſeno auratum ſydere cincta caput.
Irarũ eſt finis: poneda eſt meta labori:
Incipient ſtabili luce nitere dies.
Vnde tot in terras donorũ flumina currant,
Alueus vndarum Virginis aluus erit.

DE NOMINE BEATISSIMÆ Virginis.

Cũ tibi labra fauis, & fragrēt vbera vino,
Cur gaudes ſalſi nomen habere Maris?
Sępe furēs vētis agitata remurmurat vnda:
At tua pacato pectore lingua ſilet.
Sæpe ſolēt rigido turbari cærula fluctu,
Tu ſemper vultu candidiore micas.
Aequor odoratos neſcit producere flores,
Et tibi ſunt roſeis punica labra genis.
Dāt tibi nomē aquæ: Nymē paritura, cubabat,
Orbem cum peperit, Conditor Orbis aquis.

ORATIO III.

DE PRÆSENTATIONE

Virginis Beatiſſimæ in Templo.

NAſcimur inter humanas Mundi
4. pernicies cæci, ò Mortales; ſcili-
Eſ. cet oculati, timore correpti foras geni-
7. tricis ex aluo non prodiremus. Vtinam,
cum lucis frueremur vſura, voragines
ſaltem caueremus errorum? Heù miſe-
ros nos! Terremur laboribus, & ad no-
xias anhelamus anguſtias: cruciamur cu-
Pſa. ris, & vitæ diſcriminibus implicamur:
118. viam veritatis non currimus, & flecti-
mus quò nos inuitat iniquitas. Lumini-
bus rationis non regimur, & ad tenebras
inferorum perſonata felicitate rapta-
Gen. mur. Illa ſolum, cui contigit intra ma-
3. terna viſcera, non in cunis caput anguis
conterere: intra matris vterum, non in
vijs triumphalem pæana cantare, illa ſo-
Pſal. lum in initio viarum viam Domini cur-
118. rit. Ecce triennis accedit ad Templum,
incipit noſtræ vitę mortalis auram hau-
rire, & immortalitatis oblita non eſt. In
Mundi deſerto alios reprehendit vmbra-
rum, & lucis ſuę ſemper formoſitatem
accu-

accumulat. O felix vitæ principium, vbi crepundia ſunt aræ, preces, & vota. Nō hic minitantium ſyderum lubrici formidantur euentus. Quod enim fretum, aut quem Euripum offendere poterat, quæ propagatæ procellæ non ſenſit iniuriam?
Nunquam ſimile huic Infantulę viſum eſt, cuius vis id temporis, cum non erant Abyſſi, terram omnem ſuo ſubegit imperio, cumque in terris laus vlla non eſſet, gloriam omnem ſibi comparauit è cœlo. Nouiſti tu Deus, cuius oculorum pulchritudine captus es, cuius crinis venuſtate deuinctus es? Sed quid cerno? Lachrymantur Parentes, obſtupent Sacerdotes. Illi mœrent flore, quem tot ſuſpirijs acceperunt, orbari: iſti mirantur Mundum à Virgine derelinqui, cū nec etiam veſtibulum Mundi tetigerat. Illi cœlorum regnum, quod in vna Virgine poſſidebant, amittere contriſtantur: iſti puellam ſanctitatem amplecti, cum doli capax non ſit, animis conſternantur. Illi noctis tenebras horrent, cùm à tantę lucis ſpectaculo deferuntur: iſti inſolito faciei radio mancipati deſipiunt. Sciunt illi, quo ſpolientur theſauro: ignorant iſti, quod decus adipiſcantur, quia talis è deſerto nitor aſcendit. Perge ſemitas, quas excogitare nemini datum eſt, ò tenerrima Virgo? Non te retinent vbera Genitricis, vbera meliora perquiris in Templo? Non te oſcula parentum allici-

4. Eſ. 7. Pro. 8. Ecc. 24. can. 4. can. 2. Mat. 25. can. 8. Bar. 3. can. 1.

unt, prænoſcis, cuius oris admoueberis
can. oſculo ? Maternas exoſa blanditias, ò
2. quales expectabis amplexus ? Paternos
Pro. exoſa lares, ò quali reponeris in thro-
9. no? Iam propè es ad vmbrã, quã deſide-
can. raueras diù: mox inuenies, quẽ vicatim
2. tot gemitibus flagitaueras. Lectulus flo-
c. 3. ridus in Templo te manet. Tibi dabitur
c. 1. in Templo Dei acceptiſſima Sors. Præſi-
ſap. gnatus Auroræ locus, Templum eſt. Age
3. viam? Pulchri ſunt greſſus tui in calcea-
Iob mentis filia Principis, & ineffabilis, ac
38. penè infinita è veſtigijs tuis emicat lux.
ca. 7. Stupor eſt gradientem Virginem conſpi-
Ecc. cari. Crederes intra tam teneros artus,
50. animum inſidere corpore grandiorem.
can. Diceres vbera non habentem ſuo lacte
8. ſingulos lactaturam. Imbecillis pedibus
pro. celerat greſſus, & mente meditatur, quò
31. manum mittat ad fortia: delicati popli-
Luc. tes membra vix ſuſtinent, & potentiam
1. præcognoſcit in brachio. Oculi tendunt
ad Templum, ſed cordi cœlum non ſuf-
ficit. Putamus, ſperamus. (ò nos feli-
ces!) hoc itinere noſtras definiri cala-
mitates. Plaudit concentibus cœlum:
curſum tot ſæculis ante actis nobiliorem
non vidit. Spectabilius domi delicias
Exo. pertrãſire, quàm vias lapideſcẽtis æquo-
14. ris ſicco pede calcare. Factum tale opus
Ioſ. in vniuerſa terra non eſt. Iter tam glo-
3. rioſum Sol in cœlo non perficit. Iure
quidem appellaris, ò Virgo, Columba,

ſi miſſa de cœlo, tutam in terris non in- *C.7.*
uenies ſtationem, ad quietem ſanctuarij 5.
reuolas. Præſtat in cauerna maceriæ ru-
ſticari, quam inter altas palatiorum ma-
chinas ſuperbire. O mentis altitudo, quæ *Pro.*
ſemper eruditis cogitationibus intereſt! 8.
O grauitas morum, quæ ſemper habitat
in conſilio! Et nos aſpicimus hanc Vir-
ginem e paterna domo cedentem, & la-
chrymis parcimus? Aſpicimus hanc puel-
lam ſe Numini vouentem in Templo, &
admiratione non trahimur? Coronemur *Sap.*
domi nos roſis voluptatis, quando iſta 2.
foris dolorum præcingitur ſpinis? Frua-
mur nos bonis, quando iſta libenti ani-
mo cunctis ſupponitur malis? Vino pre-
tioſo, & vnguentis nos impleamur, quã-
do iſta ſe reficit precibus, et ieiunijs. No-
ſtrum duntaxat ſit in menſis accumbere,
& prologui, quando iſta humi proſtrata *pſal.*
in atrijs Domini concupiſcit, & deficit. 83.
Tu ſolum Vria domum tuam reſpuis in-
gredi, dum arca Dei in papilionibus cõ- *2.R.*
moratur? Te non mouet coniugalis affe- 11.
ctus, dum cura pietatis affligit? Nulla te
premit gulæ neceſſitas, dum ad religio-
nis honorem aſpiras? O nos duros, & *Exo.*
duræ ceruicis homines inſenſatos! non 32.
currimus Virginis in odorem, ad vitio- *can.*
rum Aquilonem velificamus. Ramos oli- 1.
uę negligimus, verſamur in cadaueri- *Gen.*
bus. Scimus honores euaneſcere in auras, 8.
& honorum intumeſcimus aura: non

ignoramus Mundi miſerias, & Mundi
miſerijs gloriamur. Nos non latet vitæ
prou. gaudia deſinere in vmbram, & vitam
14. trahere delectat in vmbra. O nos perdi-
tos, & ſemper in perditione perſeueran-
1. *ad* tes? E mundi calamitatibus reuerentiam
Cor. Dei non diſcimus. Stare pertinaciter
17. volumus, cum Mundi figura præterit.
Iob. Breues ſunt dies noſtri, & ſomniamus
14. æternitatem. Nati ad laborem ſumus, et
Iob. quietis habitationem exploramus in ter-
15. ris. O quantum caligamus in luce! O
quantum erramus in via! menti voluntas
Iob. non congruit: operibus diſcors eſt ratio.
6. Vade celer tu Virgo? Ænei nos ſumus,
Sap. & te ſectari non poſſumus. Perfice tu
9. iter nullo præeunte ſecurum? Corrupta
corpora noſtras animas aggrauant. Ra-
peris ad cęleſtia, quippè a rebus diſtas
humanis. Æui immatura, matura conſi-
lio oſtendis curſum ætatis non expectā-
dum in feſtinatione virtutis. Sed quiſnā
te cęlitum, quę tam potens hortata eſt
maieſtas, vt vix ab vberibus matris ab-
pſal. lata, ad amplexus ſponſi cæleſtis accur-
44. ras? vix verbum eructare ſcias, cum tua
dicere opera Regi velis? Habes profe-
pſal. ctò multum cum illa mente diuina ſecre-
139. tum. Ille Amor, qui ſuper caput tuum in
Luc. die belli obumbrauit, & iterum obum-
1. brando deſcendet in te, ille te, ſępius
clamando, vocauit. Quid moraris ò for-
moſa? Clam latere non debet, quę corā

pul-

pulſura tenebras lux eſt. Surge, veni? *can.*
Annis metiantur ętatem, qui poſt ſæcula 2.
nouerunt initium. In cauerna maceriæ
oſtende mihi faciem tuam? Vox tua ſo-
net ad aures meas in foraminibus petræ?
Incipe iam populum tuum, domumque *Pſ.*
tuam, oblita fugaces aſpernari delicias. 44.
Veniet tempus, cum gentibus viuas, to-
tiuſque Mundi vota ſuſcipias. Es Impe-
ratrix, & neſcis: admirationis tuæ fama *pſ.*
vtrumque mare coniunges: Orbem ter- 71.
rarum non pedibus, laudibus peragrabis.
Redde modò nunc te propugnaculis me- *Eco.*
is? Veni iam in hortum meum, vbi tibi 24.
parant coronas lilia, tibi thura ſeruant *can.*
ſuauitatem odoris. Si columba es, ten- 5.
de alas? Si Stella es, prome radios. Ge- *Nũ.*
minatis vocibus vicit Amor, & ſubitò 24.
tectis paternis egreſſa es. Non potuiſti
tam valido reſiſtere diuini Amoris im-
perio? Vbi mentem occupauit Amor, ſui
iuris amplius mens non fuit. Quis reſi-
ſtet Amori, qui cum intuetur, allicit, ra-
pit, abſorbet: cum loquitur, nihil ani-
mum dulcius afficit: nihil cor potentius
ferit. Cum vibrat faces, affert languores, *can.*
exanimat fortis, vt mors. Valdè potens 2.
eſt Amor: mandat, iubet, imperat, mo- *can.*
uet, cogit, impellit. Pennas induit, vt 8.
quocunque libet, velocius pergat: faces,
& tela prægeſtat manu, vt quam adimat
tela, faces reſtituant vitam. Comites ſe-
cum habet fidem, & ſpem: excludit for- *Sap.*

1. midinem, & ſegnitiem. Quę verba mi-
Io.1. niſtrat, qui ſcientiam habet vocis? Quas
vitæ vias oſtendit, qui cuſtos eſt homi-
num. Sui prodigus eſt; & cum omne de-
derit, poſſidet omne: fines in poſſeſſione
non recipit: modum in deſiderijs non
admittit. Perfringit quaſi torrens repa-
gula: campos quaſi flamma pererrat. Spi-
rat vbilibet, & ipſe ſibi ſtadium eſt, &
meta: ipſe ſibi ſtimulus eſt, & curſor.
Prodigioſa Amoris experimenta tantū-
modo ſentit amans. Viuit ille, ſed ſibi
non viuit: liber eſt, & gaudet eſſe cap-
tiuus. Siuè domi, ſiuè militiæ tutus, &
alio vallo non cingitur, niſi virtutis, &
innocentiæ. Non deprauatur in proſpe-
ris, non confunditur in aduerſis. Si la-
chrymatur, lachrymæ pietatis ſunt indi-
Act. ces, non doloris. Si ſuſpirat, ſuſpiria
2. gaudium ſonant, non luctum. Loquitur
pſ. magnalia, & humilitatis gloriam quæ-
63. rit: accedit ad cor altum, & legis medi-
pſ. tationem non deſerit. Mille agitat cogi-
1. tationes pacis, & de ſeipſo non cogitat:
Hie. in conuiuijs calet, in ieiunijs feruet.
29. Semper cupidus, ſemper lætus: diſcrimi-
pro. nibus vnquam non cedit: ſi percutitur,
32. ſanatur: ſi affligitur, recreatur: in actio-
pro. ne quieſcit, in quiete laborat, in labore
21. ardet, in ardore triumphat. Hinc dilata-
tio cordis educitur: hinc odium in ſor-
des hauritur: hinc illa dulcis gignitur
ignoratio ſui, ſupernorumque tranquil-

la cognitio: hinc illa iugis cum cæleſti-
bus conuerſatio, ille rerum mortalium *Pau.*
contemptus, illa diuinarum concupiſcē- *ad*
tia. O quam dulcis eſt fructus Amoris in *phil.*
gutture! O quam ſuauis Amoris ebrietas *3.*
in viſceribus! Temporis momentum nō *can.*
tranſit, quod amantem debiti non admo- *2.*
neat: locus terrarum non eſt, qui in amā- *can.*
tem non emittat incendium. In medio *5.*
Templi venit in mentem miſericordia, *pſa.*
intra mœnia domus amoris beneficia *47.*
reſonant: negotia aditum amori non ne-
gant: repræſentat amorem inceſſus: ab
amore quies aliena non eſt: ſomnus abo-
litor omnium, imagines conſeruat amo-
ris. Sed quò feror?. Vbi progredientem
reliquimus Virginem? Immò vbi reli-
quit nos Virgo? Ad Templi volauit aſcē-
ſum. Conſiderate greſſum, gygantis eſt. *pſ.*
animaduertite vultum, Auroræ eſt. Vir- *18.*
ginis tantum, ſi vera ſalutis publicæ *can.*
quæritis argumenta, inceſſū, atque ſplē- *16.*
dorem animis pertractate. Vltrò felici-
tatum veſtris mentibus omen occurret,
ſi decorem illum oculis propoſueritis.
Tanta eſt corporis compoſitio, vt illo ge-
ſtu tempeſtates animorum omnium com-
peſcantur. Tanta eſt frontis amœnitas,
vt illo ſupercilio totus Orbis terrarum,
tanquam Sole, vernare videatur. Nemo
eſt, quin colendum, exiſtimatione ma-
xima habendum illum locum eſſe, arbi-
tretur, quacunque illa graditur iter. Ne-

mo, quin terram ipſam decorari, nouis floribus imbui, pulcherrimis illius veſtigijs putet. Quis non obſeruat expectatione puellæ tam pulchræ læt iores Templi parietes? Muti quidem illi, & anima carentes, ſentire tamen, & lætari cernuntur, quod inſolito fulgeat lumine, quod optatæ incipiant eſſe receptaculum Sponſæ. Iubilate, exultate vos Templi marmoreæ moles? Longus Virginum po-
pſ. nè ſequetur ordo. Plurimæ Regi Virgi-
44. nes afferentur. Sed non eritis vos, ô Veſtales, quibus prophanus ignis aſſeruandus eſt traditus. Sectabuntur hanc Ducem illæ, quæ diuini flammam amoris geſtantes in pectore, charitatis operibus efferueſcent, zeli cupidinibus æſtuabunt. Ab iſta didicerint honeſtatem conſiliorum, appetituum temperantiam, documenta prudentiæ, monumenta verecundiæ, inſtituta modeſtiæ, officia probitatis. Ab iſta acceperint, quibus artibus tentationum procellas expellant, & cōſcientiæ ſerenitate perluceant, quibus viribus inferorum propugnacula deſtruant, & triumphantes ad cœli perueniant Capitolia. Curre velox, i Virgo, tibi paratum eſt manna illud abſconditum, quo ſatiabitur vniuerſus? Cucurrerunt
Apo. alij, ſed defecerunt in via. Diem Domi-
2. ni de longè proſpexit Abraham, ſed ad
Pau. lucem illius apricari non valuit. Super
ad celſitudinem Scalæ vidit diuinitatis glo-
riam

riam Iacob, ſed ad illam aſcendere for- *Heb.*
taſſe vetuit ſomnus. Numinis iucundi- 11.
tatem odoratus eſt Iſaac, ſed illam gu- *Gen.*
ſtare non potuit. Tu ſolummodò curris, 28.
vt comprehendas? Tu illa vna es, quæ *Gen.*
brauium poſt curſum accipies? Iam iam 27.
è tuis vberibus Chriſti pendentem in *Fa.*1.
tuebimur margaritam. Iam iam victri- *ad*
ces ſtellas in tuo capite radiare ſpecta- *Co.*9.
bimus. Ingredere Templum, quampri- *Mat.*
mum futura animata lex, ſi nunc es ſan- 13.
ctitatis exemplar? Sed quid laues, cùm *Ap.*
ingredieris tabernaculum teſtimonij? 12.
Macula non eſt in te, piacula noſtra ſuf- *Exo:*
ficimus: piacula noſtra terge. Sic cenſe- 30.
mus nos è tenebris peccati ſecerni, & li- *cá.*4.
beros ad tuorum oculorum lumina du-
cere dies. Sic remur nos in Templum
tuę puritatis adduci, vbi non in caligi-
ne nubis, ſed corporatus apparebit De- *Exo.*
us: non in ſibilo auræ tenuis, ſed igni- 19.
tus rutilabit Amor. At nunc repentè fi- 3.*R.*
nem orationi meæ cogor imponere. *Ac.*
Idem Virginis aſpectus procedentem vl- *Apo*
tra me reprimit. Hactenus aſſociare Vir- 2.
ginem decuit: Angelorum modò ſtipa-
ta cateruis Sanctuarium Domini ſubit, *Leu.*
vbi pes luci non graditur, hominis vox 16.
non ſonat.

DE PRAESENTATIONE

Beatiſſimæ Virginis in Templo.

Ibat frōte nitens, patrias cū linqueret ædes,
Ingreſſura ſacros Virgo tenella lares.
Aſpiceres oculos fulgeſcere ſyderis inſtar,
Inſtar & apricæ labra nitère roſæ.
Lumine tàm magno mōtes rutilare videres,
Lætaque vernantes promere prata comas.
Fulgere te qualē ſpectabimus aſtra potentē,
Si cum templa petis, tam radioſa micas?

De eadem ad mortales.

Quâ nec gaza domus, nec ſiſtūt oſcula Ma-
Sole ſub hyberno Tēpla trienis adit. (*tris,*
Nec nos tāta pudet ſolatia quærere, tantis
Mergi deſidijs, illecebrīſque trahi.
Fortè putamus opes euertere mœnia cœli?
Credimus an ſuperam luſibus ire viam?
Ah cœlū referant ſuſpiria ſola, vehitque
In cœlum humanas lachryma ſola rates.
Tu tamē hinc, Virgo, lachrymis quò pergere poſces,
Si ad te, cū loqueris, Numē ab axe voces.

Hanc amaui, & exquiſiui eam à iuuentute mea, & quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator ſum factus formæ illius. Sap. c. 8.

In-

Ingredere ò Templum tenero maturior æuo,
Et modulos Sponſi Numinis aure bibe.
Te ſolum à primis Numen dilexerat annis,
Tu ſola à ſponſo ſponſa vocata Deo es?
Incipe amatoris queſtus audire Tonantis,
Dulcia dum calido vulnera corde fouet.
Quē nūc ipſa geris religatū in crine, nitebit
Pendulus ille tuo ex vbere factus Amor.

BEATA VIRGO
inter alias Virgines Templi.

Quæ te cura tenet, quæ verſas gaudia corde,
Inter virgineos Enthea Virgo choros?
Voluere iuſſa Dei, legūq; volumina gaudes,
Albentique cupis purior eſſe niue.
O vtinā in Tēplo ſtſus, quos iſta volutat,
Primus in elyſia ſede cieſſet homo!
Hactenus elyſiis felicior Eua fuiſſes?
Nec iuga ſenſiſſes plena laboris Adam?

ORATIO IV.

IN ANNVNCIATIONE

Beatæ Virginis.

BEati ſumus, Mortales, quæ placent Deo, manifeſta ſunt nobis. Audiui- *Bar.* 4.

mus

mus huc uſque Dei amantis gemitus, & querelas: nunc cernimus adornari tædã, & thalamum. Audiuimus pluries amicã
Can. ab illo vocari, ſed ignorabatur amica:
2. ſæpius Columbam inuitari, & Columbę ſonus non reſpondebat Amica nunc coram agnoſcitur; & columbæ vox inſonat auribus? Intuemini, animaduertite? Virgini ſenſa Numinis Orator exponit Æthereus. Virgini illi, cui non alia in pectore fulget gemma, quam Deus; cuius coma alias non patitur leges, niſi modeſtiæ. Illa, quæ mortalitatis immunis à caſu, eliminat è ſupercilio grauitatem, & in oculis hoſpitatur amorem. Illa, quæ neſcia labis humanę, cultum non admittit in genis, & ſemper geſtat in vultu diem. Illa, quę domi primis annis puellarum cœtu delectata non eſt, ſed illecta diuino commercio, adhuc trima cucurrit ad Templum. Apud quam vernat ſimplicitas, floret manſuetudo, triumphat humilitas: apud quam flagrant ſtudia pietatis, coruſcant lumina verecundię, vigent ornamenta virtutum. Quis meminerit vllo tempore gratiorẽ? Quis è ſæculis ante actis puriorem acceperit? Iam tu Deus non amplius ſæuies,
Can. non manum amplius aptabis ad fulmina,
4. non horrendo tonitru concuties terras.
Apo. Scimus, quo crine ligatus es, quibus o-
5. culis vulneratus. Deſines eſſe minax. Ex
Iſa. Leone videberis Agnus, ex ſagitta flos.
Mox

Mox computaberis inter flores virgineæ 53.
puritatis, & ventrem Virginis vallatum 4.*R.*
lilijs cœlo ſtellis efflorescenti cenſebis 13.
æqualem. Quam citò languebis amore, *Can.*
& fulciri floribus, & ſtipari malis expo- 2..
ſtulabis. O nos felices, ſi maieſtatis ar-*Cã.7.*
cana ſcrutamur, et à gloria non opprimi- *Pro.*
mur: cœli cataractæ panduntur, & dilu- 25.
uio non obruimur. Qui nullo cœlorum *Gen.*
circundatur ambitu, humanę carnis er- 7.
gaſtulo includi non dedignatur. Qui na-
turę leges impoſuit, naturę legibus non
renuit ſubiacere. Qui nullis potuit defi- *Ex.*
niri verbis, vno gaudet deſcribi nomi- 3.
ne. At tu quid dubitas Virgo? Florem*Cã.2.*
vides in campo, non anguem in herba
latentem? Pudor ille tuus colorabit hũc
florem. Qui tecum loquitur, Angelus eſt,
& in Angelornm ore non eſt mendaci-
um. Fallere mulieres mendacio, ſerpen- *Gen.*
tis eſt. O quam diſtas ab illa, quę ſerpẽ- 3.
tis olim inſidijs lapſa eſt. Illa guſtando
fructum, attulit mundo perniciem: tu
fructum concipiendo, referes vniuerſo
ſalutem. Illa in nos prodegit labores, &
miſerias, tu gaudia, & paradiſum. Quid
times? vocaris gratia plena, & dubijs
oppleta turbaris? Inueniſti gratiam apud
Deum, & ambagibus commoueris? An
timor amantis eſt? Plena timoris res a-
mor eſt. Theſaurum inuenientis propri-
um eſt trepidare. Facta es Templũ Dei,
theſauraria Spiritus ſancti. Ne quæras
de

Pro. de modo vniuerſorum Artifici argumē-
25. ta non deerunt: ſed verbum cælari Dei
gloria eſt. Fortè paues ſole docolorari?
Non remanebit in tenebris domus illa, è
qua proditurus eſt Sol:non erit lucis ex-
c. 1. pers, quę datura eſt in lucem lucis au-
thorem. Iam ſcies quem diligis, vbi pa-
ſcat, vbi cubet. Exhibe te promptam a-
Gen. mantis Numinis nutibus Virgo: Salus
47. noſtra in manu tua eſt. Nunc mihi ob-
Gen. uerſatur ante oculos Deus ſcalę Iacob
28. innixus, & deſcenſum in terras adornās:
aeream ad currendam viam gygantis
pſ. veſtigia meditatur: ſuper famulantium
18. pennas ventorum iter aggredi decernit
pſ. impatiens. Induit ſponſi decorem, & ſto-
17. lam diuinitatis non exuit. Sedere ſtudet
can. ad vmbram, quam optauerat diù. Liniri
2. flagrat vnguentis, cuius tandiù concupi-
c. 1. uit odorem. Ardet, languet, & quem o-
culorum fulgor impellit, frontis mode-
ſtia moratur; quem crinis pulchritudo
deuincit, timor virginalis exoluit. Aſſē-
pro. ſum Virginis pręſtolatur Deus. Nequit
8. Verbum hominum adeſſe delicijs, homi-
num niſi verba prçceſſerint. Quid faciat
Virgo? Annuet? Regnandi videbitur a-
uida. Reſiſtet? Amoris faces refellet. Prę-
cipuo ſancti flaminis decorabitur patro-
pſ. cinio? Amplius in domo Dei abiecta ha-
83. bitare non poterit. Reſpuet cęleſtium
pſ. affluentiam gratiarum? Ad cor altum mi-
63. nimè accedet. Hinc vrget charitas, hinc
epu-

repugnat humilitas. Miſericordiæ coronas vſurpare Charitas exigit: humilitas ſublimia loqui non patitur. Diuerſa agitatur, in incertum ſe habet. Exibuit tandem ſe Numini, & cum Domina renunciatur ab Angelo, vltrò ſe confitetur ancillam. Erubeſcite vos, qui niſi ſuperbię gradus aſcendatis, dignitatis apices neſcitis attingere. Abeant, & recedant voces illę iactantiæ, quas faſtus excudere ſolitus eſt. Aliæ vanis nominibus poteſtatum, & Reginarum regalia pertractēt inſignia: iſta titulo ancillæ ſibi conſtruit vtriuſque Mundi coronam. Aliæ beneficijs cumulatæ ſeruitutis intolerantes incedant, iſta plenitudine gratiarum repleta, ſeruitutis iugum exoptat. O nouam regnandi artem, non alio, niſi Spiritus ſancti gymnaſio comparatam? Extolli ad honores, & obſequiorum non obliuiſci: in ſolio præſidere, & humilitatis exercere virtutes. Ecce Numinis (inquit) illa vilis Ancilla, cuius mentis meditatio, nil niſi Domini lex eſt: cuius cordis deſiderium, in atrijs Domini deficere ſolum eſt. Ecce quò Domini vocat me gloria. Quis me beatam non dicet? Agricolæ ſpem ſuperat meſſis. Salutis vndam ſitiui, non rorem in vellus auſa ſum poſcere: lucis fauillam quęſiui, tabernaculum Solis fieri digna non ſum. Sequor tamen, O Angele Dei, libenter imperium tuum: fiat mihi, quod iubes:

1. Reg. 2. *Pſa. 118.* *Pſa. 83.* *Luc. 1.* *Iud. 2.*

prou. tabula ſum, quicquid deſcribes excepe-
31. ro. Nauis ſum: quò ſancti Flaminis aura
Cā. ſpirarit, velificabo. Murus ſum: quicquid
8. ſuperædificabis, tenuero. O voces, ò verba! His tantum Cœli potuiſſent limina reſerari, niſi cœlum deſcendiſſet in plu-
Iſa. uiam. Profari neſcit humilitas, quin æ-
45. nea cœlorum tecta diſrumpat. Nos enimuero cur Virgini nó gratulamur, Mortales? Cur noſtra non gloriamur felicitate? Cum illa timuit, cæpimus nos ſperare: cum illa turbata eſt, miſeris infirmitatibus exuti nós fuimus. O quam ve-
Cā. rè, Virgo, piſcinæ ſunt oculi tui? de cœ-
7. lo deſcendit Angelus, aqua tuorum ocu-
Io. lorum conturbatione commota eſt, &
5. ſanatus eſt vniuerſus. Iure quidem tabulam te dixiſti, ſi ſuper te lex animata deſcribitur, & hominum oculis viam veritatis proponis. Meritò nauem te nominaſti, ſi nobis portans panem de longè, inter pelagi huius vitæ procellas incolumitatem oſtendis. Benè te murum appellaſti, ſi ſuper hunc murum Sapientia ſibi domum ædificare debuerat, &
prou. Orbis terrarum contra Regis tenebrarū
9. inſidias propugnaculum expectare. Iam deſine Iob elementa interrogare de
Iob. Sapientia? Domus ſapientiæ Virginis v-
28. terus eſt. Illam deduxit Virgo de nubi-
Bar. bus: Illam Virgo in aurea ſuæ ſimplici-
3. tatis domo collocauit. Præparate lumen vos Stellæ in cuſtodijs ſuis, & cum iucū-
dica-

ditate lucētes aſſueſcite coruſcare. Hinc
illa quamprimum conuerſa prodibit in
Solem, cuius radij cœcam quoque noctē
illuminabunt. In terris grandia cæleſtis *Hie.*
ciuis annunciauit. Manifeſtè veniet De- 33.
us. Quem prius nemo potuit intueri, niſi *pſa.*
in oculis animam poſuiſſet: mox huma- 49.
nam carnem indutus, cum hominibus *Eze.*
conuerſabitur. Olim illum præcurrerunt 33.
tonitrua,& nubes:nunc illum cantus An-
gelorum, & nouæ ſtellæ ſequentur. Om- *Eſa.*
ninò mutatus ab illo eſt, & priora non 65.
recordatur. Qualis Rhinoceros in ſinu
Virginis manſueſcit. O quam dulcè Vir- *Ca.*
ginis deliciatur in ſinu: quam ſuauè in 4.
horto Virginis deliteſcit, & ſtat. Credi-
dimus Solem tropicis tantum in ſignis
habuiſſe ſolſtitium, nunc in autumnali
Virgine fateamur oportet.

DE ANNVNCIATIONE
Beatæ Virginis.

Mūdi, ô Virgo, decus, rerū pulcherrima, cuius
Sol ſtupet à radijs, Numē amore flagrat.
Parce metu, & velox cæleſtibus ānue dictis?
Eia age te cœli dona ſuperna manent?
Annue: mellitis ni fundas verba labellis,
Non Sol iuſtitiæ deteget axe caput.

Siſtere Solem alij quondã potuere loquendo:
Tu retines Solē, dum pudibunda ſiles.

Paraphraſis in illud Cant. 5.

Aperi mihi Soror mea, amica mea, Columba immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.

O age virgineos mihi pāde Colūba receſſus,
Pāde mihi optatas Sponſa, ſororq. fores?
Infelix tellus nigris obducitur vmbris,
Aereos calles nubila tetra premunt.
En caput hoc noctis ſtillanti rore madeſcit,
Et parua ex iſto flumina crine fluunt.
Fac intacta tui ſubeā penetralia clauſtri,
Et Mundo reddā, quo caret ille, iubar.
Aureus occiduis ni Sol mergatur in vndis,
Non valet eoum mane referre diem?

Inueniſti gratiam apud Dominum.

IEſus amore delet, qui ſpicula iecit amoris:
Ignes, qui terris intulit, igne flagrat.
Seù loqueris, ſeù Virgo ſiles, incēdia vibras,
Tāta tibi eſt charitùm dos, animiq: nitor.
Certāt cūcta tuos circūdare ſydera crines,
Geſſit Sol oculos, Luna fouere pedes.
Multa tibi eſt virtus, ſi Numē vt induat artus
Letho deuotos, te Genitrice, iubes.

ORATIO V.

DE BEATA VIRGINE

Diuo Ioſeph deſponſata.

PAr erat, vt vbi Numinis inter aras
ſuo decorarat aſpectu vota, preceſq;
Virgo, adhuc inter hominum ædes tædã
præferens maritalem, coniugiorum ho-
neſtaret incendia. Perierat fides, & tho- *Hie.*
rum nulla cogitationum aſſeruabat inte- 7.
gritas, nulla morum firmabat religio,
nulla honeſtatis muniebat ratio. Arue- *Ezec.*
rat ſpes, & onus coniugij futurorum ſua- 37.
uitas non leuabat, bonorum non ſolaba-
tur agnitio, perennitatis non leniebat
opinio. Friguerat amor, & in conſortio *Mat.*
deſiderabantur pietatis officia, leuiores 24.
culpas charitas non tegebat, ad ædifica- *Pro.*
tionem non ordinabantur affectus. Ah 10
quoties in vincula legimus conuerſos *Pau.*
amplexus, quoties vidimus thalami lu- *ad*
dos deſijſſe in arenæ diſcrimina? Quis *Cor.*
neſcit cruore coniugum toties maduiſſe 14.
cubilia? Quem fugit ex ore, vnde tantũ
oſcula decebat erumpere, euolaſſe faces,
& virus? Hinc forſitan à Platone chaos
filius dictus eſt Amor. Hinc à Vulcano
mutuantem tela fingebat Amorem anti- *Eſa.*

65. quitas. Sed priores obliuioni tradantur
anguſtiæ, nouum viuendi genus ſub ſole
Ecc. videbimus. Noua lux orta eſt. Age, ve-
1. ni tu Sponſa, quæ diſtillas è labijs fauũ,
ca.4. & veræ tandem ſuauitatis odorem emit-
Ecc. te? Ades tu Columba, quæ paſceris in-
24. ter lilia, & optatę ſerenitatis Iridem in-
ca.2. dica? Tu pacis inuiolabilis ſpecimen, tu
vitæ tranquillioris exemplar: Tu, cuius
4. auſpicijs florebit fides, & corruptela
Eſd. vincetur: Tu, quæ vitæ ſpes in te con-
Ecc. geres omnes, & naufragum Orbem re-
24. uocabis ad portum. Tu, quæ pulchræ di-
lectionis es mater, & gentes à furiarum
impetu vindicabis. Accedit pulcherri-
Can. ma mulierũ redimita floribus, ſtipata ma-
2. lis, ornata monilibus ſuis. Vnquam non
pſa. indutura labem, gloriæ ſtola coruſcat;
61. vnquam non inquinatura pedes, in fori-
can. bus ſtat. Cui nunc tradenda viro eſt?
5. Qvis tali in vinea ponendus eſt cuſtos?
Ec.6. Quis gaudebit tãtæ margaritæ repertor?
Sa.6. O mirum, ò factum nunquam auditum?
ca.1. Quæ nullum habuit Sapientia cum ſorte
Mat. commercium, affixura terræ radicem,
13. conſulit ſortem. Quis non dicet paran-
Eſa. dam Fortunæ menſam, ſi pacis connu-
65. bia ſuſcipimus à Fortuna? In Sponſum e-
ligitur Ioſeph, cui pudor eſt auſpex, ſi
ſponſæ pronuba Virginitas eſt. Hac tan-
tummodo in electione Fortuna ſequi iu-
Mat. ſtitiam viſa eſt, ſi iuſtum offendit. Non
1. eſt illo religione conſtantior, non eſt

illo morum honeſtate iucundior: Præ cu-
ius conſtantia terra ſtabilis, ac firma non
eſt: præ cuius candore luceſcit nix; præ
cuius iucunditate charites ipſæ ſūt iniu- *pſ.*
cundæ. O quali flagrat amore, cum Do- 118.
mini teſtimonia meditatur, cum cœli ſe-
des ad habitandum ſe videt aſſumptum. *pſa.*
Quali fulget humilitate, cum conſola- 64.
tionem prægeſtat in ſinu, cum viuæ legis *Luc.*
ſe futurum prænoſcit eſſe cuſtodem. Qua- 2.
li rutilat lenitate, cum areſcentem virga *pro.*
florere miratur in manu, cum bonæ mu- 27.
lieris poſſeſſor renunciatur. Quali mu-
nitur metu, cum Tonantis arcam in do- *Ec.*
mum ſuam introducere ſe fatetur indi- 36.
gnum, cum Sponſæ dignitatis inſcius *Mar.*
ſponſæ maieſtatem ſcrutari non audet. 1:
Quanta illi ſunt ornamenta prudentiæ? 2. *R.*
Quanta illi ſunt lumina ſanctitatis? Quā- 9.
ta in illo vernant decora fidei? Quanta *Mat.*
in illo renidēt ſimulachra iuſtitiæ? Lon- 1.
gum eſt ſingulas illius enumerare virtu- *pro.*
tes. Niſi tu Sors tuis ſolitis illum mutis 25.
vocibus adoptaſſes in Virginis Sponſū,
cœlum ipſum nubibus ſeptum, quod iu-
ſtitiam tacere minimè poteſt, coruſcatio- *pſa.*
nibus, & tonitribus exclamaſſet. Hic eſt 21.
amicus ille fidelis, ſub cuius forti prote- *ec.* 6.
ctione Spiritus Domini requieſcet. Hic *Hie.*
eſt vigilans illa Virga, quæ ſuper Dei 1.
verbo vigilatura, laboribus, & agitatio- *pro.*
nibus vnquam fracta non cedet. Huic 4.
capiti augmenta defluant gratiarum: re-

Gen. ſtituatur huic paradiſi poſſeſſio, quam
3. homo vetus ante perdiderat. Paradiſus
Cā. eſt Virgo, hortus deliciarum eſt Virgo,
4. vbi coluber flatu peſtilenti non ſibilat,
Ge.3 capite contritus exululat: vbi germinant
Ioel ſpecioſa deſerti, & ſub fructu non latet
2. mors: vbi virtutem, & iuſtitiam radix
Sap. immortalitatis expromit, & niteat in
15. fœcundiſſimis ramis honor, & gratia:
eccl vbi florum honeſtatis vndique ſpirat o-
24. dor, & fluminis impetus vniuerſa læti-
pſa. ficat. Tibi nunc, ò Ioseph, in hoc vo-
45. luptatis Paradiſo contigit commorari.
Gen. O quàm in illo laudabiliter operaberis?
2. O quàm innocenti illum ſedulitate cu-
ſtodies? Dormire iam potes ò Sponſa?
Cā. Ad fores tuas habes, qui vigilet: ad po-
5. ſtes oſtij tui, qui obſeruet, non deeſt.
pro. Coniurent in te procellis, & turbinibus
8. elementa, tutum inuenis portum in Io-
ſeph. Surgant in te muniti dolis, & am-
bagibus aduerſarij, conſiliarius tuus eſt
Ecc. Ioſeph. Efferaſcant in te ſuperbi, tibi
51. Ioſeph adiutor eſt. Vexet varijs diſcri-
minibus te neceſſitas, tibi præſto ſemper
eſt Ioſeph. Dormi ergo, & quieſce: nul-
lis perturbanda periculis: nam ſi primo
hominum genitore ſomnum carpente ca-
lamitatum infelicem originem mulierē
natam agnouimus: virum æternæ fauſti-
tatis authorem te dormiente ſperabimus
pro.8 naſciturum: Virum, cuius genus à cœlo
pſ. 3 eſt, ſi deliciæ ſunt in terris: cuius regnū

eſt

eſt inter aſtra, ſi hæreditas inter gentes. *Ec.*
Cùm volet docere, veſtigium eius, vt 50.
lux: cùm volet iuuare, via eius abſcon- *pro.*
dita eſt. Lingua eius eſt ſanitas, doctrina 12.
eius diſciplina ſalutis eſt. Multus erit ad *Iob.*
ignoſcendum, parcus ad puniendum: iu- 3.
ſtos, à quibus non auferet oculos, ſol- *Eſa.*
uet à ſeruitutis catena, & funibus pauper- 55.
tatis. De illo quondam cecinere tot Va- *Iob*
tes. Ille eſt, qui non modò damna prop- 36.
ter amicum, ſed mortem quoque contem- *pro.*
net. Eſt ille vir velox, qui opus ſuum 12.
perfecturus, curret vt gygas. O quid a- *pro.*
get viam veritatis oſtenſurus in terris? 22.
Spectabitur arundine ſceptra mundi de- *Mat.*
ludere, vt hominum animos ad ſuperni 27.
regni ditionem incendat. Cernetur dia-
demata terreſtris imperij ſpinarum irri-
dere coronâ, vt doceat mentes hominũ
honoribus duntaxat inhiare ſtellarum.
Carnem, quam nos (heù miſeros) faci-
mus tanti, quibus non ſubdet opprobrijs,
vt tandem nos carni dediſcamus aliquã-
do blandiri. Quæramus noſtros ducturi
triumphos ex remotiſſimis Mundi parti-
bus Leones, & Elephantes, ipſi ſat erit *Mat.*
vno ſuper aſello glorias reponere huma- 13.
nas. Omnia mortalium habebit irriſio- *pra.*
ni, ludens in Orbe terrarum. Sepulchrũ 8.
tantummodò non aſpernabitur glorioſũ, *Eſ.*
quod perfectio eſt operis. Sed quò ra- 11.
pior? Quò vaticinanti ſpiritu feror? E
thalamo ad feretrum ægrè pergitur: à

domo conuiuij rarò pertranſitur ad domum luctus. Verenda mortis non reſonent nomina, vbi dulciſſima vitæ ſpira-
Eſa. cula ſpirant. Videor iam lætantem cum
26. Virgine videre Sponſum, & è ſponſæ
pro. ſedulitate adornati ſpōſo coronam. A-
12. ſpicio in terris flores apparere conſperſos, audio canticis cœlum perſonare fe-
exo. ſtiuis: menſa in horto, non in deſerto
16. paratur: pocula de cœlo, ſed dulciora
cā.2. demanant. Ecce regalis cellę vinariæ recluſus eſt aditus, Sponſa conuiuas inuitat. Intuemini illam vallatam lilijs,
cā.7. quæ ſemper cadent, non coronatam ro-
ſap. ſis, quæ citò marceſcunt. Conſiderate il-
2. lam vilibus terræ vnguentis non delibutam, cœleſtium aromatum odore perfu-
Apo. ſam: veſtibus non indutam caducis, ſole
12 redimitam æterno. Comedite (inquit)
cā.5. amici, accumbite menſæ chariſſimi: triſtitiæ tenebras è veſtris cordibus depulſuri, vtimini noſtro lacte: ſi valuiſtis vnquam ex alio deguſtare dulcedinem, admiramini nunc in noſtro dulcedinem, & candorem. Bibite amici, inebriamini nunc chariſſimi. Veſtros graues dolores
pſ. noſtro vino compeſcite? Si ſæpius po-
103. tuiſtis in alio, ſemel in noſtro ſuſpicite
cā 5. veritatem? Ecquis erit tam durus, & inhumanus, qui vocatus à Sponſa renuat reſpondere? Quem non alliciet tantæ pulchritudinis decor? Quem non trahet tantæ maieſtatis præſtantia? Quem epuli
tam

tam ſuauis non vrgebit auiditas? Nihil formoſitatis in Mundo eſt, quod hac in Virgine non reſplendeat. Nihil eſt in terris decori, quod iſto in Ioſeph non fulgeat, nihil in elemētis eſt grati, quod hoc in conuiuio non libetur. I velox meum cor, quò te Virgo compellat: vbi edere, eſt iterum eſurire: bibere, rurſū ſitire eſt. Vbi edere non claudit, ſed reſerat paradiſum: bibere fert gaudia, neſcit parare diſcrimina. O tali menſe quanta iucunditas ineſt? O tali vino quāta vis ſubeſt? Ite omnes, quò Sponſa vos conuocat? Illic cor bonum, & ſplendidum in epulis eſt, & ſuper leuiſſimo cibo non nauſeat. Illic pocula ab vberibus hauriuntur, quæ vino ſunt meliora. Illic poma noua ſeruantur, & vetera, ſed immortalitatis vtraque præſcia. Illic vernat pulchrum oculis, aſpectuque delectabile lignum, cuius fructus dulcis eſt gutturi. Ite: ſed prius iniquitatum veſtimenta conſcindite, fidei loricam aſſumite, beatæ ſpei philacteria dilatate, amictum charitatis induite. Cum vos tali nuptiarum ornatu non carueritis, eijci foras non verebimini.

Ec. 24. *Ec. 30.* *Nū. 21.* *Cā. 1* *Cā. 7.* *Gē. 3.* *Cā. 2.* *Pau. ad Theſ. 5.* *Mat. 23.* *Mat. 22.*

DE SPONSALIBVS Beatiſſimæ Virginis cum D. Ioſeph.

Nubit Virgo Fabro, quo nō leſura pudorē,
Debuerit cœli progenerare Fabrum.
Cādida mox fauſto remeabūt ſecula cœlo,
Mixta quies palmis, delicijſque ſalus:
Quas non ſperet opes iniuſſa emittere tellus,
Arida ſi primo tempore ligna virent?

De eodem argumento. Super illud D. Matth. 1.

Et non cognoſcebat eam, donec peperit ſuum primogenitum.

Quāta eſt lux Phebo, cū ſcādit culmina Olympi
Et medio eſtiuū librat ab axe diē:
Vndiq. flāmiuomas, cū vibrat ab ore ſagittas,
Et ſua ſpectari lumina ſancta vetat.
Tāta tuis, Virgo, pelluxit gratia malis,
Cum tua luſtrauit viſcera dius Amor.
Tūc cū tota tuo gauiſa eſt terra nitore,
Aſtraque erant oculis inferiora tuis.
Hinc te nō potuit Sponſus cognoſcere, tantū
Cernere non valuit, nec tolerare iubar.

ORATIO VI.

DE INCARNATIONE

Domini Ieſu Chriſti in vtero Virginis.

QVouſqe tandem iactabit ſe peſtifer Anguis humanæ vitæ primordia corrupiſſe ſpiraculo mortis? Quandiù ſua fraude mortales decepiſſe gloriabitur ſtygius Draco? Semper in tenebris, & in vmbra mortis tam miſerè laborabimus? Diutius in tanto metu, periculoque verſabimur? Vehementius nos malignitas aduerſarij perterrebit, quàm charitas Numinis conſolabitur? Viuimus, ſed quæ noſtra eſt iſta vita? Viuimus moleſtiſſimis hiſce temporibus ita infelices, & anxij, vt è veris amenitate non niſi ſpinas excerpere videamur: vt ex æſtiua fertilitate non poſſimus, niſi flammarum incendia metere; vt ex Autumni fœcunditate non niſi lachrymas colligere valeamus: vt ex hyemis intẽperie, ſæuiſſimas ſolummodò tempeſtates fouere diſcamus in animis. Heù miſeros nos? Cœlum vndique nubibus ſeptum, & horrore circundatum ſuſpicere trepidamus, terram imbribus madefactam habita-

Gē.3.

Psa. 106.

bitare reſpuimus, maria procellis turba-
ta proſpicere non audemus. Aduertimus
amicam rerum diſſolui compagem, di-
ſcordi lege metuimus elementa rixari.
Solitos lucis radios ſydera mundo non
præbent, tellus derelicto ſuæ firmitatis
inſtinctu contremiſcit, fines indignata
præſcriptos aquarum congregationes vn-
da faſtidit, hoſtili facultates aduerſitate
rebellant, rupta fide decertant humores.
Quādo dirimetur exorta lis? Quando è
Gen. cœlo veniet pax? Tempus eſt, vt Spiri-
1. tus Domini ſuper aquas amplius non
Za. feratur, & ſtare ſuper terram incipiat:
8. conuerſus in rorem? Facta lux eſt: expe-
Ce. 1 ctati diei coruſcat Aurora. Vides, ò
Gen. Deus quam bona ſit lux? Formæ, cuius
32. factus amator es, experiris incendia? De-
Pſ. coris, quem concupiſti, obſtupeſcis ad
44. radios? Tuum iam ſiſte curſum, & in re-
quiem, quam tibi ante ſæcula ſtatuiſti,
Pſ. iam ſurge? à ſummo cælo, tanquam ſpō-
131. ſus egredere; & tuum in Sole taberna-
Pſ. culum pone? Quæ nobis tranquillitas a-
18. derit, ſi quietis dator in motu eſt? Con-
Ca. 4. cordi pace ligata, quæ diſſonant, nullo
modo ſperare poterimus, niſi te in vno
Sponſæ crine nouerimus vinctum? tene-
bras non intuebimur è terra depulſas,
niſi te in vno Sponſæ oculorum ſpectabi-
mus vulneratum vibrare flammas amo-
ris? Tollitur à ſedibus æternitatis Deus,
& in Virginis aluum transfertur in ter-

ris

ris. Cui nulla eſt mutatio loci, multa eſt
ingenij, ſeù naturæ: induit ſtolam pacis, *Bar.*
vltionum deponit affectus; quem ſeueri- 4.
tate munierat, clementia roborat thro- *Pro.*
num: verſatur in ſalute conſilium, quod 20.
antea ad perniciem ignes deuorantes ad- *Eſa.*
mouebat, & gladios. O noſtrorum tem- 30.
porum felicitatem nunquam auditam? O
nouum ſub Sole pietatis ineffabilem ap-
paratum? Repentè in innocentiam muta-
tur iniquitas, in triumphum captiuitas. *Pau.*
Computátur in filios lucis filij tenebra- *ad*
rum, à cœlorum hæreditate non expel- *Theſ.*
luntur extranei, cęleſtis Hieruſalem ci- 5.
uitate donantur exules. Tui crinis, ò Vir-
go, mos eſt ſummis ima connectere, viâ
veritatis dirigere, fortiter, ſuauiterque
cuncta diſponere. Tuorum oculorum ef- *Sap.*
fectus eſt, dexteram Excelſi mutare, 8.
cœlos diſrumpere, & pacis fœdera re- *Pſ.*
portare. Quid agis, quid moliris cœle- 76.
ſtis Amor? Qui Patri ſe profitetur æqua- *Eſ.*
lem, vt inter Virginis vbera commore- 64.
tur, Patre minorem dici non dedigna-
tur: qui cæteris ſanè rebus regale non
neglexit obſequium, vna hac pro Virgi-
ne maieſtatem oblitus, accipit formam
ſerui. Ite nunc vos, quibus maxima vis *Pau.*
amoris nota non eſt, & quomodo vterus *ad*
nullo ſemine iacto intumeſcat, diſſerite. *Ph.*
Quomodo tempori ſit ſubiectus, qui an- 2.
te ſæcula ſemper fuit, perueſtigate. Quo-
modo alui virginalis anguſtia compre-

hen-

hendatur, qui incomprehenſibilis eſt,
diſceptate. Leges amor nō patitur; quod
fieri non poſſit, apud Deum non eſt. Ho-
Gen. rum oculorum flamma flagrabat Deus,
3. cùm in Paradiſo deambulabat ad auram;
*Cã*4. huius crinis vinculo vinciebatur, cùm
Iud. Sponſam, Columbam, amicam euocabat
6. è Libano. Horum oculorum lumina de-
Gen. peribat, cùm ſuper vellus rorantes ſol-
28. uebatur in lachrymas. Huius crinis tra-
hebatur odore, cùm ſcalæ innixus appa-
rebat è cœlis: horum oculorum æſtua-
bat incendio, cùm ardebat in rubo: ho-
Exo. rum crinium languebat amore, cùm ſti-
3. pari malis, & floribus flagitabat. O con-
Cã. ditionem hominum ærumnoſam, ſi mũ-
2. di deſerto formoſitas iſta non affulſiſſet.
Pœnas mortalium duntaxat ſudore per-
Gen. fundi non puto: cœli cataractas ad ter-
3. rarum exitium ſat ſemel patuiſſe non ar-
Gen. bitror. Quales non excitaſſent aſtra ca-
7. lamitates? quos non peperiſſet natura la-
bores? quę vidiſſemus ex Erebi fauci-
bus erupiſſe portenta malorum? Arſiſſent
Vrbes incendio, tecta improuiſo telluris
corruiſſent hiatu. Secedat iam victus in
cœcas Orci cauernas humani generis
perditiſſimus hoſtis ille, qui virulentis
flatibus omnem terrarum molem infecit.
Confundatur, ſtante Mundo, amiſiſſe vi-
res, & dolos: Ingemiſcat exorto Sole
in tenebras abijſſe tartareæ noctis. Quã-
to illum mœrore afflictum eſſe, & pro-
fliga-

fligatum putamus. Iacet ille nunc dura
ceruice contritus, deſiderio fraudatus
ſuo, deuictus, inglorius: liueſcit, igne-
ſcit, ſqualentem per vultum varius errat
color: ſagittas, quas excuſſerat in cun-
ctorum excidium, in ſe ſentit eſſe retor-
tas: Tot animarum exuuias ex ſuis ma-
nibus luget ereptas. Incaſſum tantam pe-
ſtem euomuiſſe deplorat. Pœnitet vetus
inſpiraſſe in homines crimen: dolet pri-
mæui gloriam occupaſſe mendacij: amiſ-
ſa tot facinorum laude concedit in iras: *Hie.*
depoſita victoriæ ſpe prorumpit in que- *7.*
ſtus: Quò deindè (exclamat) furor cō-
uertetur meus? Quas in partes animarū
prædas amplius augurabor? Vna Mulier
gratioſa gloriæ verticem attigit, facibus *Pro.*
oculorum Tonantem incendit, vinculo *11.*
crinis nexuit Deum. Omnia deſiderabi- *Ca.4.*
lia noſtra verſa ſunt in ruinas. Ecce va- *Eſa.*
na omnis pulchritudo non eſt, neque *64.*
gratia fallax? gratiam, & ſpeciem con- *Pro.*
cupiſcit ancillæ *Rex.* Fruſtra conatus *31.*
ſum hominem è Paradiſo depelli, ſi mu- *Pſa.*
lieris huius gratia eſt Paradiſus. Quid
non feci, vt qui ad Beatitatis æuum for- *44.*
matus eſt, ad ſudorem condemnaretur? *Eccl.*
Vlulate, & plangite mecum inferorum *40.*
manes? Laboraui in ventum. Sudor tran- *Eccl.*
ſiit in quietem, multiplicatus in nobis *5.*
eſt dolor, in nos congregata ſunt mala.
Miſeros nos? Quæ acui, in nos intueor te-
la? Quomodò vniuerſæ terræ confractus,

Hie. & contritus eſt malleus? Quomodò ver-
50. ſa eſt Babylon in deſertum? Ruit ſuper
Hie. nos repentè vaſtator. Inter ſilentia noctis
6. durus debellator è regalibus ſedibus ve-
Sap. nit: vtitur tenebrarum amictu, qui ad-
18. uerſus tenebras moturus eſt arma. Ad
has tartarei Draconis querelas quiſnam
cor non dilatat? Quiſnam ſuo eſt in ani-
mo puſillanimis? Mille decet iam medi-
tari victorias, iam adornare palmas o-
portet innumeras. Quod expectauimus,
Eſa. aſſecuti iam ſumus: depluit è cœlo ros
26. lucis, & gygantum terra detracta eſt in
ruinam. Non eſt amplius timori locus:
præbet res ipſa fiduciam. O proſperam
Mundi ſortem, qui tandé aliquando mu-
lierem ſperatæ felicitatis originem na-
ctus eſt. Quicquid olim illa mœroris at-
tulit, iſta nunc iucunditatis indicit. Fle-
Luc. uimus antea, cùm ſedebamus in tenebris;
1. vidimus iam pulchritudinem tuam, ò
Virgo, & nobis orta lux eſt, dieſque
præluxere lætitiæ, cùm punitura morta-
les erupit neceſſitas. Quis illam laqueos
mortis ornare non vidit? Illam cœli
tractus corrumpere non miratus eſt: illã
aura ſegetes peſtilenti comburere non
indoluit: illam ad cruentos armorum
impetus prouocare hominum pectora nõ
Am. expalluit. Nunc in ſuauitatem mutata
5. crudelitas eſt: cœli parant ambroſiam,
montes lac pollicentur. Terribilis, vin-
dicis titulos obliuiſcitur Deus, ſtudet

miſericors, amabilis nominari: faciem *Ap.*
Leonis delectat exuere, Agni manſuetu- 5.
do perquiritur. Tua nos formoſitate pro-
ſperamur, ò Virgo, & veræ libertatis *Pſa.*
vocamur ad regnum? Tu nos de neceſſi- 106.
tatibus eripis, cùm fontem vitæ præmon- *Pſ.*
ſtras in petra, cùm Solem iuſtitiæ ex im- 35.
mortalitatis radice ſurgentem adducis, *Sap.*
cùm panem è longè portas, cùm ſignum 15
fœderis exhibes. Virtute tuorum oculo- *Pro.*
rum ſtamus, & reſpicimur: virtute tuo- 31
rum crinium clamamus, & exaudimur. *Gen.*
O miſericordē Numinis prouidentiam? 17.
Virtute Virginis oculorum Deus factus *Iob.*
eſt homo, & amplius à Deo non deludi- 30.
tur Adam: virtute crinium Virginis li- *Gen.*
gatus eſt Deus, & mortis nexibus ſolu- 3.
tus eſt homo. Exultat, Mortales, & tri-
umphat oratio mea. Quem melioris vi-
tæ ſtatum excogitare potuimus? Quando
tempus tàm iucundum imaginari credi-
dimus? Iam tu cœli, terrarumque Rector *Ecc.*
omnipotens, qui hominum diſpoſitioni 3.
Mundi machinam tradidiſti, oculos ite-
rùm huc in terras intorque? Veterem̃,
quem colubri quondā deceptum inſidiis
ioco dixiſti, nouum nunc hominem ſpe-
cie pulcherrimæ Virginis irretitum ve- *Gen.*
rè fateberis vnum ex vobis. 3.

DE INCARNATIONE Domini in vtero Beatiſſimæ Virginis.

Claudite vota ſacri, lachrymaſq; inhibete
Delapſus, cęli mõ tibus ecce lapis. (*Parẽtes*
Delitet incluſus fœcũdãs Virginis aluum,
Vt viuam poſthac inde propinet aquam:
Inuẽta eſt Mulier, forti quæ pectore tandẽ
Tanta molis onus ſuſtinuiſſe queat.
Plaudite Mortales? Virgo eſt ceù fortior At-
Cui niti Mũdi machina tota poteſt. (*las,*

De eodem argumento.

Mare loquitur non eſt mecum, ſcilicet Sapientia. Lib. Iob. c. 28.

Ne mare dein reſonet, nõ eſt Sapiẽtia mecũ,
Si iam Virgineo delitet illa Mari.
Quę terrę ſordes, Erebi quæ ſpreuit Abyſſũ,
Contenta eſt niueo Virginis eſſe ſinu.
Aurũ, quę ſuperat, cui gẽmis India cedit,
Vincitur è radio, què Maris vnda iacit.
Felix vnda Maris tanto dignata nitore:
O quali poteris luce parare diem!

De eodem Incarnationis Dominicæ argumento.

Qualis Rhinoceros, qui ſæuijt ebrius ira,
Deſueſcit gremio Virginis eſſe ferox.
O quàm pacatus culparum obliuia carpit,
Geſtit & in charitum fonte leuare ſitim.
Si deìn Chriſte hominū cupies ignoſcere noxis,
Mitior vt parcas, viſcera Matris habes.

ORATIO VII.

DE BEATISS. VIRGINE Diuam Eliſabeth inuiſente.

NVnc vos, Mortales, ſermonis huius nō expectate floribus eloquētiæ componam initium? Decuit alibi, cū id occaſio non inhibuit, figurarum varietate contextum orationis ornare caput: modò præcipitandæ ſunt moræ. Feſtinat MARIA. Poſt cœleſtis Oratoris alloquium, & ſancti Flaminis obumbrationem præproperis paſſibus in montana recedit. Certè, quod hauſit, fulmen eſt: quem concepit, Gygas eſt. Illius eſt incutere montes: illius eſt currere celeri gradu. Fortè cum iam ſit in puritatis Columbam electa, in petræ foraminibus, & in cauerna maceriæ nidificare cupierit. *Ezec.* 1. *Pſ.* 18. *Cant.* 2.

Fortè cum Solem in vtero geſtet, in montes abeat, quod proprium Solis eſt primo ortu montium irradiare cacumina. Alia verò, & potiora negotia Virginem poſcunt. Pugnatum it Virgo. Vox dilecti, vt ab horrore carcerum
Io.1. vindicetur, ipſam inuitat. Vox illa, quæ rectas Domini ſemitas paratura, quondam in deſerto clamabit, nunc miſero incluſa mortalitatis ergaſtulo ingemiſcit. Illa, quæ vocis oraculo geſtum quoque digiti addens, indicatura ſalutis Authorem, è latebris obſcuriſſimæ noctis
Cã. exclamat. Surge, propera amica mea,
2. columba mea? humanorum propagato vulnere langueo, & nimium dolens hoſtis animoſi catenas experior. Succurre affini laboranti, ſuccurre? Tu illa es, cui crudelitas diſplicet, & in miſericordia
Pſa. tuum collocas tabernaculum. Appareat
115. ſalutare Tonantis, & noſtris ſedibus in-
Cã. ſideat quies. Hyemem tranſire non vide-
2. ro, niſi mihi tuæ frontis ſerenabit amenitas. Ego florum odore non fruar, niſi meis auribus tua verba dulciſſima perſonabunt. Vrgeat affinitatis amor, inſtet amicitiæ decus. His dictis extemplò rapitur Virgo, & viam charitatis igne veſtigans, ducendam meditatur animo ge-
Cã. neroſam ex hoſte victoriam. Vt caſtro-
6. rum acies ordinata conſurgit, & ne ſublimioribus locis poſſit aduerſariorum impetus debacchari, occupat montes.
Dei

Dei duntaxat armaturam induta, in hoſtiles Erebi minas occurrit. E Tartarei Pharaonis iugo Ioannes eſt eximendus: ad Eliſabeth vterus, arena eſt. Iam tibi crudelis tenebrarum Dynaſta cumulandæ ſunt vmbræ, vt abſcondaris? Sed fruſtra: Sole redimita venit iſta Bellatrix, & quę ad ſolis aſpectum non euaneſcăt, vmbras non habes. Iam tibi cœlorum ſuperbiſſime transfuga pedibus addendæ ſunt alę, vt effugias: ſed tam velox non volabis, quin iterum iſta conterat caput tuum. Iſta eſt mulier illa fortis, cuius pretium, cœlum eſt: cuius fructus, Deus. Ad iſtius acceſſum tubæ manium conticeſcent, vexilla diſrumpĕtur Abyſſi, propugnacula corruĕt inferorum. Ad iſtius aduentum memoria captiuitatis abibit, vincula diſſoluentur, delebitur Babylonis imperium. O tartareorum Gygantum quot cerno ruinas! ſpoliabitur inſidiator inſidijs: humani generis carnifex in ſeipſum reuoluet catenas, ſi carceres iam pateſcent. I Virgo feſtinans, venturas in horas aduentum ne differas? Mora expectantibus, grauis eſt: patientibus, ærumnoſa. Clamat Ioannes de profundis ad te. Erebi noctem diſpeſcere, tuum eſt. Tu miſiſti manum ad fortia, & digiti tui, qui ſuper cunctos feliciorem vitæ fuſum deducere apprehenderunt, captiuos adducere ad libertatis arua non aſpernantur. Felici tuorum oculorum

Pau. ad Ef. 6. *Apo. 12.* *Pro. 31.* *Pſa. 129.* *Pro. 31.*

intuitu caligines diſſipa, compedes ſol-
ue. Aduertimus, quod difficultatibus nõ
terreris, ſi per montes iter aggrederis.
Argumentum victoriæ inceſſus eſt. Cer-
nere eſt Virginem pietatis alis ad mon-
tana deproperantem. Non illam retar-
Cã. dat tot viridantium camporum obtutus,
2. melioris floris germen odoratur in ſinu.
*Sa.*1. Non illam ignotæ regionis curioſitas
trahit, eum, qui continet omnia, conclu-
ſum miratur in gremio. Feſtino proce-
dit greſſu, ſuperat Palæſtinam, ad Quer-
cum Gedeonis ſe confert. Conſiſteret
illic, niſi vnum illum, quem in valle
Mambre adorauerat Abram, iam deſcẽ-
diſſe ſuum ſentiret in vterum. Sichem
peragrat colles, & lapides emolleſcunt
ad pedes, ſpinæ commutantur in roſas.
Quęretur quibus ſocijs in ſolitudinem
ſe penetrat Virgo? Sola viarum deſerta
percurrit: non trepidat terras euadere,
Ec. que gyrum cœli ſola ſolita eſt circuire.
23. Sibilus auræ tenuis peregrinam Virginẽ
3. *R.* comitatur. Quęretur, quo fulta penu pe-
19. regrinationis incommoda ſuperabit? Pa-
Pro. nis, quem intra viſcera portat, ſat eſt.
31. Nobiliſſimum iter, cum Iudithæ itinere
Iud. conferendum? Illa veſtimentis iucundi-
19. tatis ornata, caput compoſuit ad coronã:
iſta faſciculo myrrhæ delicioſa, neruos
adaptat ad palmam. Extimulat vtramque
charitas. Illa liberatura Bethuliam ab
Holofernis obſeſſu laborat: Iſta affinem
infan-

infantem à ſatanę morſu ſeruatura feſtinat. Excipitis vos, Mõtes, hanc hoſpitam, & ſimul non exultatis? Quando fluetis, vt cera, ſi ad radios diuini Solis non incaleſcitis? Quando ſtillabitis dulcedinem, ſi in odorem cęleſtis gratię nõ exudatis? Sed iam vmbras per aerem pręcipitantes ad Orcum aſpicio: attingit Eliſabeth limites Virgo. Vbi venit, bellatum eſt: vbi vidit, vbi locuta eſt, debellatum, triumphatum eſt. O nouas vincendi artes? alij cunctando Rempublicam libertati reſtituerunt, iſta feſtinando liberat obſidione captiuos. Iure potes inter mulierum natos maior dici Ioannes, ſi tibi primum Virgo ſalutis annuntiat diem, te ante omnes æterni Solis lætificat nitor. Plaude, & victoriæ plauſus ingemina: nũc vel in vtero Matris tuæ ſaltandum eſt tibi, & ſi ſaltare loci te vetat anguſtia, pedes in Orbem rota. Rota fortunę tuę Virgo eſt. Audiſtis vnquam, Mortales, bellum hoc bello pręclarius? Facinus hoc facinore glorioſius? Manus non aptantur ad arma, & in mare confuſionis deijcitur hoſtis: per aerem tela non volant, & inimicorum corruit apparatus. Cedat nouę huic Bellatrici vetus ille rumor Amazonum, & ad pæana tanti triumphi non Virginum, non puerorum, ſed mille Angelorum reſonent voces. Celebrate vos Ætherex mentes è cœlo pietatis incendia, quibus

Pſ. 97. Pſ. 96. Io. 3. Exo. 15

iſta

iſta conflagrans euolauit ad montes. Tātę fortitudinis, quę ferarum deſerta trāſegit, cantibus honeſtate memoriam. Fidei tàm imperterritę, quæ laboribus obſcurata non eſt, admiramini lucem. Laudate Victricis huius ingenium, commendate conſilium. Sed vos non audetis? Num in efferendis tot rerum præconijs, veſtra muta ſunt labia? Num in tot operibus gloriæ decantandis, veſtræ vinctæ ſunt voces? Agnoſco: ipſa eadem Victrix Moyſis Sorore auſpicatior poſt victos hoſtes dulciſſimo eloquio ſuum ſola proſequitur Epinicium. Quis veſtrum, Mortales, animo poſſet effingere verba, voceſque, quibus ipſa exultationis ſuæ ſenſus expromit: Creditis pulchrorum enumeratione factorum ſuam incomparabilem iactare virtutem? Putatis vario titulorum elogio vſurpare diuinitatem? Ah tales in corde virginis nō hoſpitātur af-
Luc. fectus! Inclytas (inquit) Deo laudū ani-
1. ma mea coronas intexat, & à quo ſalutis omnis mihi lumen affulſit, ſpiritus meus exultet in Deo. Ille palmarum eſt auctor, ille ſeruat viriditatem in laurea. Quid non egit, cùm ſuæ reſpexit humilitatem ancillæ? Sempiternos propalauit miſericordiæ latices, ſuperbiſſimos ſolo montes æquauit, eſurientibus meliora propoſuit, diuitibus fortunas ademit; ad ſublimitatem exiguos extulit, potentes è ſede depoſuit, operatus eſt grau-

grandia. Hinc beatam me prædicabit poſteritas, & mihi tot dotes adſcribet, quot ſtellas cœlum oſtentat, tot mihi triumphos attribuet, quot ſunt oræ, parteſq. terrarum. Sciant omnes è Domini clementia meam demanare felicitatem, è Domini brachio meam prouenire potẽtiam. O verba præclara, & in virgineo pectore diuinitùs excitata! O pectus, præ cuius magnitudine immenſitas ætheris eſt anguſta! Alias ſuperbienti perfuſas gaudio fauſtorum euentuum fortuna deludat, iſta dum ſibi noſcit ſydera famulari, non intumeſcit. Alias inter geſtorum lætitiam decipiat populi fauor, iſta dum concupitur à Rege, ſuam obliuiſcitur domum, & populum. Iſta tenebrarum poteſtates euellit, & thronum maieſtatis non ambit. Erebi ſedes euertit, & de triumpho non cogitat. Confũdamur age, confundamur hinc nos Mortales? Piceas inter vmbras ſenſuum ſemper cœcamur, & non deſiſtimus de luce natalium certare cum Sole. Semper vitiorum vinculis catenamur, & vrbium, Prouinciarum, Regnorum, totiuſque mundi ſuſpiramus imperium. Puluis denique nos non fugit originarius, & arcubus, obeliſcis, æterniſque pyramidũ machinis immortales glorias anhelamus.

IN VISITATIONE
Beatæ Virginis.

Abijt in montana.

Scādit plena Deo mōtanos Virgo receſſus,
Deſignatque lapis, quem gerit intus, iter.
Aſpice quàm fauſtò properat veſtigia greſſu,
Quà pergat, velox flamine ſpirat Amor.
O noſtras regeret lapis iſte per ęquora puppes
Puppis in æquoreis nulla periret aquis.

De eodem Argumento.

Mōtes Virgo ſubit, ſimul ac ſubit Aliger a- (ſtra:
An quas iſte alas induit, illa gerit? (alis
Quid moliris Amor? qui flāma inuectus, &
Neſcis vel modicas ferre in amore moras.
Noſco: maritales (vix ſpōſi affata miniſtrū)
Cū ſubitò ſuperū munere nacta faces.

De eodem Argumento.

Sol, cui ſyrma dabit, plātas cui Cynthia lābet,
Aſtraque cui cingēt ambitioſa comas:
Spreta comas, nudata genas, et paupere velo
Tecta, salebroſos illa pererrat agros.
Illa per Hermonij colles feſtina vagatur,
Et calcat ſyriæ pulverulenta vias.
Eheù nos cæcos, qui cęli ad culmina noſtrū,
Cōmoda ni prægāt, non properamus iter?

AD

AD BEATAM VIRGINEM alludens ad illa verba Can. 1.

Nigra ſum, fuſca ſum, quia decolorauit me Sol.

Quid mirũ vultu, Virgo, ſi decolor extas,
Sole ſub ardenti ſi peregrina moues?
Feruida nõ vitas flãmati incendia cœli.
Et quòd ſis fuſco nigra colore, doles?
Nõ ignara tui pulcherrimã Virgo ſortẽ eſs
Et bene ſcis vtero, quem capis ipſa tuo.
Immẽſo quicquid cõplectitur æthere, cœlum.
Et quicquid tellus continet, intus habes.

ORATIO VIII.

DE EXPECTATIONE

Partus Beatiſſimæ Virginis.

AVdimus Mentium ſupernarum e- *Is.*
xercitus ad cœlorum Opificem na- 2.
ſciturum in terris apparare cantus, &
plauſus. Cernimus ſtellas expectato So- *Mat.*
li iuſtitiæ occurſuras inſolitis facibus in- 2.
cendere ſyrmata. Agnoſcimus montes *Am.*
terrarum Regi mox orituro defluxuram 9.
adornare dulcedinem. Nos tantum, heũ

miſeros nos! inter tot ſigna lætitiæ deſi-
des, & inertes hebeſcimus! Nos ſolum-
modo ſeruatorem noſtrum expectandi
non tenet anxietas! Ioannis adhuc exi-
ſtentis in vtero materno feſtiua tripudia
non mouent nos? Voces, exclamatio-
neſque vaticinantis Annæ nos è ſomno
Iſ. non excitant? Quid enim expectabimus
36. Dominum, cuius viam non cuſtodiui-
Iob. mus? Quid præſtolabimur lucem, ſi ortū
29. ſurgentis Auroræ non vidimus? Expecta
Eſ. tu, Beatiſſima Virgo, illo lumine frui,
26. quod tandiù anima tua deſiderauit in
noctę? Præſtolare tu gratiſſimam arbo-
Cā. rem illam, cuius vmbram in meridie
1. & flagitare non piguit? Quem foues intus
2. in ſinu, illum foris oſculari peroptas?
Cā. Quem mirabiliter aluo circundas, illi-
3. us amplexus perquire per vicos? Nobis,
Cā. qui nomen Domini non timuimus, iuſti-
3. tia Sol non orietur: Nobis, qui ſanctum
Mal. corrupimus teſtamentum, Deus manife-
4. ſtè non veniet. Vbi ſunt mentium ſtudia?
Eſ. Vbi cordium flammata ſuſpiria? Vbi de-
49. ſiderantium voces? Arcus gloriæ non
apparent: illuſtrium operum obeliſci nō
Lu. ſurgunt: virtutum ornamenta non lucēt.
1. Scimus humilitatis potentiam diſrupiſſe
Pſ. 8. cœlos, & Numen gygantis docuiſſe ve-
Mat. ſtigia. Scimus charitatis impetum Para-
11. diſi propugnaculis vim intuliſſe, & diui-
ni velleris rapuiſſe theſaurum. Scimus
germina puritatis cæleſtem Curiam o-
dorum

dorum ſuauitate ſudiſſe, & lilia colle- *Ca.*
ctarum ad hortos inuitaſſe Sponſũ. Aliò 5,
noſtri peruagantur affectus: vitijs circun-
damur vndique: auaritiæ curis incumbi-
mus: operas ambitioni nauamus: inani-
um dignitatum fumo conflamur, funda-
mento fluxarum opum innitimur: ad res
anhelamus caducas, pertranſimus æter-
nas: fideles faſtidimus cogitationes, va-
nis cupiditatibus conquieſcimus. O res
plena doloris, atque lachrymarum? Pro- *Eſ.*
pè eſt, qui deferat Vniuerſo ſalutem, & *46.*
nos in via non aſtamus? In portu eſt, qui *pro.*
panem de longè portauit, & nos iucun- *31.*
ditate non trahimur? In foribus eſt, qui *Hie.*
noſtræ rumpit retinacula ſeruitutis, & *29.*
nos non occurrimus? Qui venturus eſt *eccl.*
mox, ille ex ore profectus Altiſſimi mi- *24.*
randum in modum diſpoſiturus eſt om- *pro.*
nia, & ignotas prudentiæ patefacturus eſt *2.*
ſemitas. Iam è Mundo errorum pellen- *ex.3.*
dæ ſunt ſordes, ſi qui veniet, ignis eſt.
Iam corrupti ſeminis Adæ meliora ger- *Eſ.11*
mina ſperare licebit, ſi qui ſurget eſt ra-
dix. Iam, quas labes antiqua clauſit, re-
cludendæ ſunt fores, ſi qui prodibit, eſt *Apo.*
clauis. Nouus dierum ordo decurret, *3.*
Oriens lucis æternæ manifeſtabitur, eſſe- *Zac.*
ra Tyrannorum dabitur obliuioni cru- *3.*
delitas, Rex gentium ille deſideratus re- *Ag.*
gnabit. Quæ futura ſunt corda tàm bar- *2.*
bara, quæ tantæ ſuauitatis odore non ca- *Ec.*
piantur? Qui oculi tàm ingrati, qui tan- *24.*

tæ lucis non venerentur Authorem! Quę
Mat. tàm perfida ingenia, quæ iugo tàm dul-
11. ci voluntates non flectant? Hinc diuinæ
Pet. naturæ participes eſſe ſperamus, collo-
*ep.*2. catum in miſericordia ſolium maieſtatis
*c.*1. aſpiciemus. In ſempiternum præcipita-
Eſ. bitur mors, & terram lachrymæ non am-
25. plius irrigabunt. Delabetur è cœlo iu-
*pſ.*7. ſtitia, & cunctos Mundi fines pacis abũ-
dantia circumcinget. O felix ſolſtitij
Iud. brumalis initium, in quo terris Agni
6. cœleſtis appariturum eſt vellus! In quo
noſtrarum miſeriarum terminari perio-
dus debet, & nouum vitæ fauſtum, ac
proſperum inchoari curriculum! O præ-
clarum illum diem omnibus alijs ante-
ferendum! Non enim inter nubila, & to-
exo. nitrua reuelabitur Tonans, inter cœli
19 tranquillitates, & Angelorum concen-
tus inſpectabitur Infans. Lumen ſyderũ
Lu. 2 tunc temporis non quæretur, ſol ipſe iu-
ſtitiæ lucis indeficientis radios vniuerſo
diffundet. Humanitati labanti non men-
Eſ. dicabitur aliunde fulcimen, lapis angu-
28. laris, qui ſummis connectit ima, firma-
bit Orbem terrarum. O ter, & quater
beatos illos, quibus felicitatem hanc
Lu. 2 expectare pollicitum eſt. Non te latet, ò
Simeon, quali cumulaberis gaudio, cùm
conſolationem Iſrael, Dominicum ſalu-
tare videbis? Meritò poteris concluſas
oculorum luces optare, ſi non aliud in-
tueri ſpecioſius in mundo ſupererit? Iu-
re

re terrenam hanc auram faſtidies, ſi veſci diuina didiceris? Sed nunquàm tibi diuturnior vita continget, quàm cùm vitam popoſceris breuiorem. Incipies immutabiles æterno Sole metiri dies, cùm temporarium mundani Solis oderis curſum. Cùm fueris Numinis locupletatus obtutibus, noles humanos: cùm maieſtatem ſcrutari dignatus fueris, am- *Pro.*
plius mortalis dici non patieris. O nimi- 25.
um infelices, & infeliciter perditos nos, ſi tanti expectatione non allicimur boni? Ecquando immundis criminum reti- *Cā.7*
naculis exuemur, ſi virginei ventris vallati lilijs odore non rapimur? Ibi latitat omnium ſpes: inde vniuerſalis prodibit pax. Quis non cernit illo intus in ven- *Cā.5*
tre aurum optimum efformari, ſi delitescentis theſauri foris tot ſigna pateſcūt. *Ec.*
Fructus honeſtatis producunt oculi, vi- 24.
ret in manibus liberalitas, floreſcunt in greſſibus germina charitatis, fluit ex ore prudentia. O quod intus abſcondi reor cunctarum virtutum exemplar! Omnis *pſ.*
gloria filiæ Regis venit ab intus. Sed 44.
omnia veſtigare ſecreta ventris, lucernæ *Pro.*
Domini tantum eſt. Qui Principes Græ- 20.
ciæ troiano quondam in equo finxit incluſos, quibus vocibus exclamaret, ſi verè nunc in vtero Virginis Deū cum tota cæleſti curia commorantem intuerentur? O qualis hinc erumpet victoria! Inferorum turres, & mœnia corruent, gy-

Iob gantes ingemiſcent ſub aquis, noua ſol-
26. uentur vexilla ſalutis, tota tellus igne
Luc. diuino flagrabit. Ecquis erit tàm imper-
12. uius, & ab omni hominum communione
remotus in orbe locus, quò triumphi tàm
magni glorioſus non perueniet ſonus?
Quis populus, quæ gens, quæ natio, quæ
vel tot flammarum incendio non igne-
ſcet, vel tot radiorum lumine non illu-
ſtrabitur? Videor iam videre lucem Æ-
thiopes ex his radijs haurientes, nigre-
dinem vultus cordis candore penſare:
gelidos Trionum accolas illos flammas
ex his facibus mutuantes, perpetuum e-
nutrire in animis æſtum, ſi glacialis hye-
mis in aere viciſſitudines ſentiunt immu-
tabiles. Feliciſſimam illam, quæ Numi-
nis Genitrix digniſſima reputata eſt! Quę
ventris ambitu, quantumuis cœlis ſit im-
par, mirabiliter illis capacitate præcel-
lit. Illa eſt, quæ margaritam ſuis meri-
Mat. tis comparatam in aluo repoſuit: Illa eſt,
13. quæ theſaurum, cui ſimile cœlum eſt,
in agro ſui vētris abſconditum poſſidet.
Erubeſcite vos, quorum viſcera aurum,
gemmaſque cumulandi ſemper inextin-
guibilis vrit ſitis? Qui congeſtos opum
aceruos intueri nec Soli conceditis: qui
modò trepidi, modò ſolliciti, tellus, cú
contremit, expalleſcitis: aerem, cùm
vento perſtrepit, inuehimini: de nubi-
bus, cùm diſſoluuntur in fulmina, per-
doletis: fluuios, cùm aquis excreſcunt,

increpatis. Longè nimium illa differt à vobis: ſola ſuo triſtatur theſauro frui: theſauro, cui parem ſydera non nouerũt, & alium viſurus Orbis non eſt: non gaudet illa diteſcere, niſi Mundum ſimul ditatum agnoſcat. Illa mœret, cùm ad ſuam locupletem hæreditatem, omnes non cernit admiſſos: cùm ad ſuæ poteſtatis imperium conſortes non habet omnes, iſta videtur impatiens: flagrat, æſtuat, ardet ſuas delicias cum filijs hominum eſſe cõmunes: immenſum putat addidiſſe ſuis opibus incrementum, cùm illas vniuerſitati communicarit. Optat, vt citò caput illud aureum ſplendeat: cupit, vt nulla poſtpoſita mora manus illæ hyacinthis plenæ coruſcent; obſecrat, orat. O maxima vis charitatis? Quid non efficis, vbi corda hominum occupaſti? Expectat, reexpectat: mille ex præcordijs ſuſpiria ducit, forſan, qui deſcendit in rorem, manifeſtaretur in auram. Largas fundit ex oculis lachrymas, forſan, qui ferri ſolitus eſt ſuper aquas, ſuper lachrymarum vndas apparere non dedignaretur. Quouſque tandem (exclamat) erit ab oculis meis abſcondita conſolatio? Quouſque meis viſceribus latebit abſcõditus Deus? Non ſufficit, vt ipſa filia Iſrael duntaxat illuminer, quando tota tenebraſcit Ægyptus? Non ſufficit, vt dicar ipſa tantummodò diues, quando totus paupertate laborat Orbis? Eia age

Pro. 8. *Cã. 5* *Eſ. 28.* *Za. 8.* *Ge. 1* *Oſee. 13.* *Eſa. 45.* *Exo. 10.* *Eze 45.*

porta illa nulli penetrabilis, niſi Soli iu-
Ex. ſtitiæ, iam reſeretur, & pateat omnibus
19. dies. Exuatur nubibus ille mons, & viſi-
Pro. bilis adſit expectatio gentium. Sentio,
13. quàm ſpes dilata diuexat animam, mor-
Cã. 8 tis dolores vſurpat amor. Veni iam, rũ-
pſ. 18 pe moras, incipe greſſibus vti gygantis.
Indue formam Agni, & de petra deſerti
Eſa. terrarum dominator accede? Sume ſpe-
16. ciem Auſtri, totam perfla terrenam mo-
Cã. 4 lem, & tuis vnguentis imbuta mortem
dediſcat humana mortalitas? Curis in-
Cã. 5 cenſa maternis amplecti flagito caput, è
quo non fluxæ diuitiæ profluent vniuer-
ſis. Deſiderijs icta fidelibus quæro ſpe-
ctare comas, è quibus peroptatæ victo-
riæ colliget Mundus palmas. Anhelo vi-
dere oculos, qui cunctorum vitæ pela-
gus nauigantium, futuri ſunt duces. Ge-
nas conflagro meditari, quæ mundi ſpi-
nis allaturæ ſunt roſas. Caleſcit animus
pſ. 44 oſculari labra, in quibus gratia cęli dif-
fuſa eſt, & omnis populus pocula veri-
tatis inueniet. Feruet mens venerari ma-
nus, è quibus omnium demanauit initi-
Cã. 5 um, & iam libertatis incrementum de-
fluxurum eſt omnibus. Veni totus deſi-
derabilis, veni. Si venturus ignitus es,
Za. 9 apparaui iam cunas in paleis: ſi pauper
Eſ. 1 gauiſurus es dici, pauperes iam reperi
pannos. Iam præſepe te manet: poſſeſſo-
ris ſui bos iam prænoſcit aduentum. Pro-
lixior eſſem, ſi quicquid Virgo volue-

bat

bat animo, ſingillatim enumerare cona-
rer. Vt priſcorum oracula annalium va-
riis expreſſa figuris iam contemplaretur
impleta: vt reſponſa tot Vatum ambagi-
bus irretita cœcis iam ſine nube, perci-
peret, & perfecta: vt intra viles humani-
tatis exuuias miraretur collocatam Nu-
minis excellentiam: vt intra rudes mor-
talitatis anguſtias comprehenſam agno-
ſceret magnitudinem maieſtatis: vt ancil- Pſ.
lam concupiſceret Rex: vt opere, quod 44.
patrarat, delectaretur Opifex: vt per fę- Cā. 1.
minam, qui victor ſuperbijt ſerpens, per c. 2.
eandem capite iam cötereretur oppreſſo: Ge. 3
vt, quæ per fœminam prorogata conta-
gione peſtis in Mundo graſſata eſt, per
eandem recluſo ſalutis aditu incolumi-
tas reuerteretur in terras: vt ſi iam ex ar-
bore vitæ mortis pomum decerptum eſt,
nunc è ligno funeris vitæ fructus degu-
ſtaretur: vt ſi iam ex veris amœnitate
ad hyemis iniurias repentè deuētum eſt,
nunc auſpicatius ex hyeme pertranſire-
tur ad ver. O te ſupra omnes beatiſſimā,
inclyta Virgo, cui cœlorum arcana pe-
netrare non vetitum eſt, & pacis cogita-
tionibus commorari, cui priorum dam- Hie.
na parentum reſtaurare conceſſum eſt, 29.
viuaſque ſpes immortalitatis in Orbe Pſ.
renouare deperditas. Tu modo ſub vm- 15.
bra alarum tuarum nos excipe, & corda Pau.
noſtra ad expectandam beatam ſpem fer- ad
uenter impelle: tu nobis, quā apud Do- Ti. 2.

Lu. 1. minum inueniſti, gratiam impertire: tu Sole, quem induis, è tenebris, & mortis
Apo. vmbra nos eripe. Non patere, vt quem
12. inſulæ expectant, nos non petamus? Ne
Eſ. 1. fac, vt quem lacinijs redimitum huma-
Pet. nis proſpicere deſiderant Angeli, nos
ep. 1. non proſequamur obſequijs? Si ſæpe numero niuoſa montium iuga ob repercuſſos Solis ardores eliqueſcere vidimus,
Am. nunc gelidos montes Solis æterni præ-
9. ſentientes incendia, mellitos in latices
Ioſ. diſſolui dicendum eſt. Si vſpiam alias ob-
10. ſtupeſcentem aliorum victorijs Solem ſtare percepimus, nunc miratum noui Regis aduentum greſſus percelerare fatendum eſt.

DE EXPECTATIONE

Partus Beatiſſimæ Virginis.

Virginea Genitrix Numē vix excipit aluo,
Cùm mœret tanto ſola nitore frui.
Hoc mallet totus frueretur lumine Mūdus:
Tàm gratū quiſquis pectore ferret onus.
Theſauros alij non condere poſſe querūtur,
Exhibuiſſe ſuum dum nequit iſta, dolet.
Sic Solis radios cùm celat cādida nubes,
Vt Solem premat, ſoluitur in lachrymas.

De

De eodem Argumento.

Beata Virgo Deo, quem intra eius viſcera continebat, videbatur ſemper intenta.

Siuè ſopore premis, ſeù ſomno lumina ſoluis,
Aſtat mente puer, perſonat ore puer.
Illum nũc cernis dura ad præſepia natum,
Nunc varios caſus exuperare vides.
Aſpicis, & quando renouato iure gubernat,
Et quando incultos itque, reditque locos.
Te totã in puerũ verſas, & crederis anceps,
Seù ſpires pueri flamine, ſiuè tuo?

ORATIO IX.

DE NATIVITATE Domini.

ECce tandẽ è Nube producitur Sol: *Eſa.*
ex vmbra Spiritus ſancti nouus emi- 18.
cat dies, è monte deſcendit abſciſſus ſine *Eze.*
manibus lapis. Sed heù Mundi lachry- 32.
mabilem auaritiam! Non illi marmoreis *Luc.* 2.
regia columnis aſſurgit: non illi magni- *Dan.*
fico palatia rutilant apparatu. Qui cœli 2.
ſpatiari campis aſſueuit, hoſpitium non
habet in terris: qui ſolitus eſt in altiſſi-

Ec. mis habitare, deliteſcit in paleis. Non-
24. dum vitam acceperat Adam, cùm fulgē-
Gen. tis atria patuerunt Olympi, cùm terrarū
*Lu.*2 floruit vniuerſitas. Adeſt in Mundo De-
Eſa. us, & in diuerſorio non eſt locus; indi-
52. gentia circumcingitur. Conſurgite vos, Mortales, dum iacet Deus: induimini vos fortitudine, dum hic langueſcit: fulgeſcite veſtimentis gloriæ, dum hic vileſcit in fœno. Heù dedecet ſtragulata veſte vos ſuperbire, ſi cœleſtis Rex nudus frigore contremiſcit: melius quàm
Hie. byſſum, tingeret rubor genas. Nunc
9. vellem capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum. Satius foret lacrymis cunas Domini celebrare, quàm verbis. Præſtaret ſilentio tantum venerari myſterium, quàm huiuſmodi admirationem tenuare loquendo. At quomodo obmuteſcam, quando iumenta ſenſus in-
Iob. duunt humanitatis? Quo pacto torpeſcā,
38. quando cœli concentus haud dormit? Deum recens in rudi præſepi natum ſtupore victus inſolito intueor hoſpitantē. Puerperæ Virginis duro egeſtatis incōmodo animi pietate commotus miſereor laborantis. Non te, Ieſu, delectat ampliſſimus regnorum gradus, non impe-
*Io.*18. ria, non deliciæ, non theſauri. Si deſpicis Mundi pompas, regnum tuum hoc de Mundo non eſt. Veniſti in locum, vbi libertatem es perditurus, onera multorum excepturus es vnus, inter labores,

inter anguſtias euaſurus es magnus. Nouum genus hoc gloriæ concupiſcis. Vmbram Numinis, & imaginem videmus in ſtabulo, potentiam terribili tonitru fulgurantem non exhorremus. Quis non præſagiet te fore paſtorem, ſi naſceris inter armenta? Oſtendis iam qua lege gubernabis oues, ſi virgam maieſtatis oblitus, paſtoralium duntaxat fiſtularum frueris ſono. O quæ paſcua ſeruantur armẽto felicia! O quæ ſub dulciſſima arboris vmbra requies gregem manet! Sed tu è quali dolore afficeris Deipara Virgo, dum reponis eum in ſtabulo, qui Rector eſt vniuerſi: dum cogeris eum pannis inuoluere, qui ſtellarum veſtitur amictu. Cur opprimi vitæ defectu non potes, cũ Amorem inter ſtipulas edis? Cur ad vagitus infantis Dei cum gemitibus, & cũ lachrymis non reſpondes? Dicebas, opinor. Da veniam, nate Deus, paleis tibi cunas adorno, quia reclinatorium aureũ non eſt mihi. Vtinam iſtæ paleæ, quæ tuum corpuſculum modò fouent, olim tuã frontem coronaturæ non conuerterentur in ſpinas! Patere nunc pannis inuolui, ſi colli mei crine non dedignatus es alligari. Non te latebat paupertas ancillæ tuæ: in cauerna maceriæ meam vocẽ audiſti. Nunc, ſi neſcio tibi fores reſerare palatiorum, inter hęc vbera commorare: nunc, ſi nequis aromatum ſuauiſſimis odoribus perfrui, meorum aura delecta-

Io. 10.

Lu. 2.

Ca. 3

ca. 4

ca. 2

can. 1.

lectare ſuſpiriorum. Inopem te credet,
can. qui manus tuas tornatiles aureas mentis
5. oculo non conſiderat; impotentem te
dicet, qui miſſilia tela, quæ iacis ab ore,
non experitur in corde. Conſolare pul-
Ec. cherrima Virgo: propter gloriam mino-
2c. ratus eſt Deus, ab humilitate leuabit ca-
put, & cœlum triumphator aſcendet. Pla-
cet infanti Deo ſpes Mundi in paleis
collocare, & faſtus hominum inter an-
Can. tra reſtringere: ſed oculi tui, qui de cœ-
6. lo traxerunt illum, paleas immutant in
aurum, antra conuertunt in aulas. Quic-
cā. quid fluit è labijs tuis, eſt fauus: quic-
4. quid ſpirat è veſtimentis tuis, eſt odor
thuris. Accedunt terris gratulaturæ de
cœlo ſtellæ, & tuas an nati Solis luces
adorent, in incerto verſantur. Circum-
ſtabula obſtupefacti volitant Angeli, &
captiuum ſcilicet eorum Ducem in tuis
vlnis mirantes, in terra pacem inclamāt.
Luc. Vndique ſtellarum agmina fluctuant, vn-
2. dique cæleſtium concurſat exercitus pē-
natorum. Dicerem nunc dehiſcere cœ-
lum: extra Zodiaci vias ſtellæ coruſcāt,
ſed non declinant a Sole: extra ſedes
Empyrei turba concinit Angelorum,
ſed à Tonante non diſtat. Habent illæ,
vndè mutuent radios, fontem lucis: iſtis
non deficit gaudium, ſi propè ſalutis au-
thorem delicientur. Quæ felicitatum il-
læ præſagiunt ſæcula! Cuius triumphi
modulantur illi præconia! Quis non vi-

det

det ex iſto veſtibulo lucis expectatum illud effulgeſcere ſydus? Quis non ſentit *Nu.*
è tanta odorum ſuauitate terram appare- *24.*
re promiſſionis? Noua, ac penitus inaudita videre nunc videor. Aſpicio mon- *Io.*
tes hybernarum crudelitatum ignaros *3.*
ſtillare dulcedinem, campoſque brumalium iniuriarum expertes lilijs floreſce- *Eſa.*
re ſempiternis. Ecce feritatem dediſcit *11.*
Leo, & vna ſimul cum vitulo vagatur in paſcuis. Omnes belluæ depoſito rapacitatis inſtinctu miteſcunt, Vrſus blanditur Oui, & amplius luporum fauces Agnũ non metuit. Orta iuſtitia eſt, & abundan- *Pſ.*
tia pacis in terris. Redit pietas renidet *71.*
fides, Reges ſuperbiam exuunt, tyrannique furiarum immanitate nõ ruunt, gladij vertuntur in vomeres, & lanceæ conflantur in falces. O mirum! quam nulla *Eſa.*
nobis fauſtitatem ex tot ſæculis parare *2.*
potuit dies, vna fert nox. Cedebant omnia ſilentio noctis: ſibilus ſuſurrabat in aere, ſtrepitus non reſonabat in ſyluis, ſquamarum fulgor non rutilabat in vndis: omnis oculorum acies obtuſa ſopore torpebat: Canum ſydera culminabant in cœlo, ſub quorum forſan excubijs vniuerſa periculo vacua quieſcebant in Mundo: cùm Numinis omnipotens ſermo è regalibus ſedibus venit, & tota tel- *Sa.*
lus diuinitate repleta eſt. Ite nunc, & *18.*
liuidam vocate noctem, ſi cœleſtium theſaurorum eſt prodigioſa donatrix. ap-

pellate nigrantem, quæ naſcentis Solis
eſt obſtetrix: dicite horribilem, quæ ve-
rę pacis eſt glorioſa portatrix. Exulta
fulgens, & die luminoſior, ò Beatiſſima
nox? Idcircò tenebris cares, quod tene-
bris tuis ſeditiones, & bella contumula-
ſti: cœlituum cantibus reſonas, quod
Martis tubas, lituoſque ſilere compellis:
Pſ. inſolito ſtellarum velamine decoraris,
18. quod Sponſi egredientis è thalamo ſuo
exultationem aſſequeris: infeſtis vento-
Cã. rum flatibus non turbaris, quod Sponſi
5. cincinnos, & caput nocturno rore per-
fundis. At quò me ducit noctis encomi-
um, cùm Solis commendanda natiuitas
eſt. Ad te, ò Virgo, reuertatur oratio,
& rerum tranquillitatem vni tibi refera-
mus acceptam. Tu temporibus auream
Exo. indicis ætatem, dùm reſeras Arcam, qua
30. condideras teſtamentum: Tu pietatem
Gen. infundis in mores, dum nubem reſoluis,
9. qua fœderis arcus obuoluebatur. Tu ter-
Nu. ras vbertate fœcundas, dum fontem, quo
20. viua latebat aqua, profers in medium.
Cã. Tu iucunditate permulces Orbem, dum
4. quò tandiù cælatus eſt fructus, recludis
Cã. hortum. Tu illa es Turtur, ad cuius vo-
2. calem ſonum, imber abit, recedit hyēs,
& odoriferum florum ſyrma ver pandit
in ſolo. Tu Halcyon illa es, quæ parien-
do elementa ſerenitate tranquillas. Quis
valet tuorum meritorum titulos enarra-
re? Quis tuæ poteſt argumenta dignita-
tis

tis amplecti? Nullius tantum eſt flumen
ingenij, quod per tot laudum campos ex-
currens, poſtremò non arefiat. Nulla di-
cendi, aut ſcribendi tanta vis, tantaque
copia prorſus eſt, quæ tot virtutum ag-
greſſa varietates non deficiat, non vane-
ſcat. Talis tuarum dotium ſplendor eſt:
quem mens, aut cogitatio capere nunquā
ſufficit. Tale tuæ largitatis eſt decus,
quod laudibus efferre quiſquis ignorat,
ſtudijs proſequi nemo percipit. Omnes *pſa.*
diuites plebis vultus tui lumina depre- *44.*
cantur, quæ priſtinæ vitæ interclusam a-
peruere conſuetudinem, & omnibus ad
bene de cuiuſque exitu ſperandum, tàm
grande ſalutis obtulerunt indicium. Vni-
uerſa Mundi mœnia tibi gratias agere *Pſ*
geſtiunt, quod terrarum renouata ſit fa- *103*
cies, & cœlos circumſpiciant inclina- *pſ.*
tos. Ipſa tibi pro cunctis hominibus gra- *17.*
tulatur natura, & ſi poſſet vocibus gra-
tulationem exprimere, ſic loqueretur.
Reſpiraui tandem, liberata ſum. Non *Gen.*
amplius vereor, ne quas coluber machi- *3.*
natur, inſidijs miſerè deinde ſubiaceam.
Contriuiſti, ò Virgo, Draconis caput, *Iud.*
in domo tartarei Pharaonis feciſti con- *14.*
fuſionem, & humanam obſidione ſoluiſti
rempublicam. Iucundiſſimus currit dies;
quem mirabiliter ex vtero foris enixa
es, Sol non affert occaſum. Fuerunt quō-
dam, fuerunt obſcuritates, & in tenebris, *pſa.*
& in vmbra mortis inſedimus: nunc ſa- *106.*

cti filij lucis radios veritatis haurimus,
Pau. & immarceſcibilem apricamur ad vitã.
ad O quanta eſt in dato beneficio laus, cũ
The. in accepto tanta iucunditas eſt? Tuum
5. munus eſt, ſi calamitatibus finem damus,
& felicitatum patet ingreſſus: ſi ampliata eſt humanitatis auctoritas, & conſortes diuinitatis efficimur, tua gloria eſt. Omnia prorogatæ noctis nubila depellenda erant, ſed diem ſalutis annuntiare, pulchriorem decebat Auroram. Omnia primi lapſus vulnera curanda erant, ſed, niſi per mare pietatis, ad nos è cœlo medicus vitæ tranſmeare non poterat. Plura cuperet perorare: ſed quod reliquum eſt, nos erga diuinam Numinis Genitricem obſequiorum officijs perficere flagitat. Innumerabiles Puerperæ Virgini gratias referre tenemur, Mortales, beneficia maieſtate pracellunt, & gratiarum magnitudinem confitẽdo, deficimus. Iſta Verbum, vt nos edoceamur, exponit in via. Iſta indeficiens lumen exprommit in terris, vt tenebras nos deponamus horroris. Felices nos, ſi noſtra tempora noſceremus? Antea maieſtatem
Exo. Tonantis Numinis intueri, viuentis nõ
33. erat: nunc faciem vagientis videmus, & viuimus. Infinita penè gaudia protulit Orbi terrarum fœcunda virginitas. Vagitus naſcentis Dei ver dulciſſimum Orbi portendit; at quale ver eſſe poterit inter niues? Ille adhuc paruulus cunctos

hye-

hyemis rigores vſurpat, vt nobis ſereni temporis præbeat vices. Ille, qui concipitur inter roſas, pro nobis non trepidat inter glacies naſci. Ille formam accipit ſerui, vt nos è Pharaonis eximat ſeruitute, gloriam ſuam deducit in puluerem, vt noſtram ad aſtra mortalitatem extollat. Hæc ille: quid alia tamen ex parte nos agimus? Nihil: quibus operis tot munera compenſamus? Obliuione, ſcelerum conſcientia. O nos beneficiorum immemores, & ſemper poſt felicitatem ingratos? Apparebat in caligine Deus, & illi Templa, & Tabernacula fabricauimus: ſine velamine nunc hominem repræſentat, & hoſpitium non offerimus? Heù nos cęcos? Heù nos ſtultos? inter tenebras euadimus oculati: inter lumina Solis cœcutientes.

Pau. ad Phil. 2. 7.

DE BEATA VIRGINE

Chriſtum parturiente.

In diuerſorio non habet, vbi reclinet caput ſuum. D. *Mat.* 8.

En Deus ad terras cęlo demiſſus ab alto eſt,
Et qua ſede caput collocet, ille caret.
Quid faciat Mater? ſtabulisne reponet Amorem?
An beluas inter ſufferet eſſe Deum?

Hinc

Hinc pietas gazas offert, hinc tollit egeſtas,
Et pudibunda Parens inter vtrãq; timet.
Poſt ait, in paleis te condam bellule nate,
Si cœlo in terras vrere corda venis.

De eodem Argumento. Ad Beatam Virginem.

Auroræ, & Solis condentem lumina cælo,
Ah quoniam terris fœta puella locas?
Aurea cur olli deſunt laquearia Regum?
Cur Domino humanæ nõ famulãtur opes?
Quidni? iure Deũ paleis ſubſterne Tonãtĩ?
Nãque minus palea eſt, quicquid in orbe (valet.
Felices paleæ? quãdo felicius vnquam
Riſit ager, veſtra eſt ſi Deus ipſe Ceres?

De Puero Ieſu ex Beatiſſima Virgine nato.

Progenuiſſe Deũ, niueiſq; fouere ſub vlnis,
Matrem debuerãt exhilarare ſatis:
Si nõ ſũma illam turbaſſet cura, ſeueræ
Dum cernit Numen progenuiſſe neci.
O quæ deinde putem cõſtantia gaudia terris,
Si neque firma manẽt gaudia nixa Deo?
Credideram ſpinas inter latitare timores,
Nunc produci inter lilia cana reor?

De

De ſtella, quæ apparuit ſuper
præſepe Domini.

Lucida conuexas aſſueta micare per oras
Stella ſuper ſtabulo prodigioſa micat.
Scilicet immenſum cœlis exoſa nitorem,
Nunc cæcos ſaltus, & nemora alta colit.
Deſpicit aurati rutilantia lumina Phœbi,
Et Triuiæ fronti denegat eſſe iubar.
Nẽpe noua in ſtabulo cernit miracula, Solē
Progigni è Lunę reſpicit illa ſinu.

ORATIO X.

DE PVLCHRITVDINE

Beatæ Virginis.

SI potuiſtis vnquam, Mortales, nullo verbo prolato, orationis exordium veſtigare, nunc hauſto vnguentorum odore, quid ſim dicturus, habetis. Speci- *Can.* em, quam Rex concupiuit è cœlo, deſcri- 1. bam; Margaritæ formoſitatem, quam cę- *Paſ.* lo vendito Deus ſibi comparauit in ter- 44. ris, exponam. Sed vnde aggrediar, ne- *Mat.* ſcio? Non me fugit meliora latere, & 12. innumerabilibus obruor argumentis. *Cā4.* Hinc laudum me deterret Oceanus; hinc luminum coruſcatione me reſpuit Sol. Huius pelagi ſpatia tranſmeare ſolum

Ge.1. Columbæ cœleſtis eſt: huius Solis radi-
Lu. os intueri, tantummodo eſt Angelorum.
1. Tu quæ ſolita es alijs inſtar flammarum
Act. alas aptare, tu mihi pennas nunc ad vo-
Ap.2 landum accommoda. Tu, qui tanti Solis
Lu.1 alloquio ferre didiciſti fulgores, tu nũc
Ecc. eiuſdem intuitus ſuſtinere me doce. Pul-
43. chritudinem candoris eius quis non ad-
Pro. mirabitur oculus? tantę maieſtatis arca-
25. na ſcrutando, quæ nõ deficiet mens? Nõ-
Pro. dum terra floruerat, nondum palluerant
8. Abyſſi, cùm cęperant Virginis radiare veſtigia, cùm Virginis lumina nouerant ſerenare. Adhuc cœli non erant, & ipſa ſtellis coronata micabat. Adhuc aquæ non ſenſerant legem, & ipſa cæleſti rore circumfuſa ſplendebat. O planè ignotũ lucis Mariæ principium? æſtubus meridiei caleſcimus, & pruinis Auroræ non obriguimus. Sic vbi ſitientes Ægypti plagas aquarum alluuione fœcundat Nilus, decurrentibus fluctibus ſuas pompas oſtentat, ſed decurrentium fluctuũ mur-
Aba. mur non ſonat originem. Obſtupeſcite
1. Gentes, opus quod nemo, cùm narrabitur, credet, perfectum in diebus noſtris aſpicimus. O qualis prodit ex illo capite gratia! Lilia vernant in fronte, quorũ
Cã.7 radices affixę ſunt cordi: roſæ rubent in genis, quas pietatis iam ſaucię cruentus
Cã.4 imbuit humor: fontibus micant oculi gratiores, è quibus effluit ſalus: fauo mellis labra ſunt dulciora, è quibus e-

ma-

manat vita. Placet collum conferre turri, ſi fortitudinis portendit inſignia: comas palmis æquiparare neceſſe eſt, ſi crinis vniuſcuiuſque eſt exercere victoriã. *Cã.7.* *ca.4.*
Quæ narium decus exprimant, vbi virtutum omnium cumulatur odor, Libanus *cã.7.*
odoratas moles non habet: quæ referat os, cuius emiſſiones ſunt Paradiſus, nulla prorſus in terris eſt comparatio. *Cã.4.*
Quot cœlo, & terris niteſcunt, vno in vultu ſtant dotes. Omnium rationes donorum, omnium fluenta gratiarum obtinuit vna Mulier. At quæ mulier? quam tot votis bonorum optatam, qua in ſplẽdoribus ſanctorum conceptam audiſtis. Cuius initio reſpirauit innocentiæ laus: quæ Numinis potenti manu magnificata eſt: cuius ea ſpecies eſt, vt eam nemo mortalem: ea vis, vt nemo fœminam: ea charitas, vt nemo formatam luto appellare poſſit. Deleuit ſua pulchritudine naturæ labem, mutauit ſuis meritis reatus nomina. Nunc dicam cœlos eſſe diſruptos, ſi noua terra cieata eſt. Quam pulchra es, quàm decora chariſſima in delicijs! Potes quidem de te ipſa dicere, ò Virgo, perfecti decoris ego ſum, et in corde maris ſita, ſi virtus omnis, omnisque gratia mirabiliter in te confluit. Non tu corpus tuum lauiſti, nec te myrro optimo vnxiſti: non tu crinem diſcriminaſti, nec mitram ſuper caput tuum impoſuiſti: veſtimenta iucunditatis non *Eſa. 65.* *Cã.7.* *Eze. 27.* *Iud. 10.*

induiſti, nec circum tua tempora luſerũt
Sap. inaures: Splendorem tibi contulit Do-
5. minus, è cuius manu diadema ſpeciei,
regnũque pulchritudinis accepiſti. Certò ſcimus natura te non potuiſſe tàm pulchram euadere, niſi acceſſiſſet Opifex Deus. Quod vltra naturam eſt, de authore naturæ eſt. Nihil à Numine te laudabilius eſt. O felices terrarum oræ, in quibus propè Virginis huius præſtantia coruſcauit! O beatę gentes, quæ ſingularem huius puellæ regalis aſpectum
*Ca.*6 videre, & venerari dignatæ ſunt! Vidiſtis vos Filiæ Sion formoſiſſimos illius greſſus, & laudaſtis: nouiſtis illam inter flores, & lilia quieſcentem, & perijſtis.
*Ca.*7 Audiſtis illam comitate ſermonis fundẽtem ab ore nectar, & Reginam ſalutaſtis: ſenſiſtis illam amoris faces latè vibrantem ab oculis, & beatiſſimam prædicaſtis. O eximiam Virginis pulchritudinem, cui, qui deuincitur, eſt liber; qua, qui ardet, eſt tutus; qui dolet, eſt lætus.
Ecc. Iam deſinat iratus in formæ decorem
13. poſthac inuehi Salomon. Quæ faciei
Pro. bonæ cordis boni veſtigium iungat, in-
31. uenta eſt. Fallax eſt aliarum gratia, va-
Sap. na aliarum eſt elegantia. In iſta, vbi qui
1. complet omnia, requieſcit, quæ vanitas
Mal. eſſe poteſt? In iſta, vbi lex veritatis in-
2. habitat, qui valet delitéſcere dolus? Iſta
Pro. eſt, quæ adepta eſt gloriam gratia: iſta
21. eſt, quæ pulchritudine proſperè proce-
dit

dit, & regnat. Sit aliarum mulierum de- *Pſ.*
cor imbellis bella, cladeſque producere: 44.
noſtræ Virginis armata ſpecies pacis æ-
ternæ decreta promulgat. Iſta ducit è *Iud.*
forti dulcedinem, manum mittit ad for- 14.
tia, & ſagittas ſalutis intorquet. Mille *Pro.*
clypei pendent ex ea, & beneficiorum 31.
recluſus eſt aditus. Iſta eſt illa creatura 4. *Re*
ad vltionem inimicorum armata: Iſta eſt 15.
mulier illa fortis, quæ veteris colubri *Cã.*4
caput virtutis pede contriuit. Habet ſuã *Sap.*5
habet pulchritudo militiam, cui virtu- *Pro.*
tis, non corporis militat vis: aduerſus 51.
quam ætas non valet, pallores ægritudo *Gẽ*3.
non armat: mors arcum non lentat. Cui
cœli fauor arridet, & forti locus nō eſt;
Cui charites cudunt arma, & ipſa cuſtos
eſt ſui. Huius in caſtris primas aſſecuta
laudes eſt Virgo, cùm pietatis, & fidei
tàm feliciter, ignotas alibi, diſciplinas
exercuit. Quæ prœmia idcircò tantę vir-
tuti ſunt concedenda? Nihili facit illa
coronas, nihili ſtatuas. Liceat illi, iux-
ta veteris Philoſophi inſtituta Reipubli- *Cã.*2
cæ, ſub vmbra illius, quem deſiderauè- *pſ.*
rat, inſidere: Specioſum præ filijs hominũ 44.
oſculari. O admirabilis merces, cui non *Cã.*
inhiat, niſi mens præſtantiſſima! O men- 1.
tem Virginis rebus ſupernis addictam!
O Virginem omni humano captu, & co-
gitatione ſuperiorem! Iſtam intuiturus *pſ.*
retrorſum vndas nũc conuerte Iordanis? 113.
huius in ſinu pretioſiores inuenies mar-

garitas: huius in labris pulchriora ſpe-
Ioſ. ctabis coralia. Mirificam iſtius excellē-
1. tiam veneraturus age modò ſta Sol? glo-
rioſiores cernes hac pugnante victorias.
Lucidioribus decoraberis hac triumphā-
3-*Re.*te luminibus. Hanc ſi vidiſſes, ò Saba,
10. verus eſt ſermo, dixiſſes, quo totus re-
ſonat Orbis terrarum. Enunciatura Vir-
ginis ſpeciem fama pares laudibus lin-
guas non habuit, æquales curſui alas nō
aptauit ad humeros. Vileſcunt Rebeccæ
præconia, Noemis, Eſther, Rachelis va-
na ſunt nomina. Digna eſt imperio vir-
tus, & inſolitum addit virtuti forma
ſuffragium. Veni, vide, & proba. Orna-
menta decoris ſibi inuenit è cœlo, quæ
ſponſum ſibi inuenit in cœlo. At nouo
Cā. nunc rapior lumine, ſpecioſiori perfun-
1. dor aura: vbera illa vino meliora, è qui-
bus pacem bibit infantulus Deus, ò qua-
*Cā.*7lem odoris ſuauitatem emittunt! venter
ille, qui triticum vallatum lilijs ſerua-
pſ. uit, & fouit, ò qualem dulcedinis mul-
30 titudinem afflat! Illinc diuinam Tonan-
*Deu.*tis manum irarum obliuioſam agnoſci-
8. mus: Hinc manna illud, quod è cœlo
Io. depluit in deſertum, domi guſtamus in
5. panem: Illinc, cum rerum humanarum
Pſa. anguſtijs intercipimur, conſolationis
66. copia recreamur. Hinc cùm areſcimus
*Io.*7.deſtituti, aquę viuæ fluminibus ſpes no-
Ge. ſtras reuireſcere cernimus: Illinc, cùm
9. cœlum tenebris inuolutum horremus,
arcum

arcum fœderis euocamus: Hinc, cùm *Ge. 3.*
veteris memorem maledicti fortaſſe ſte-
rileſcentem terram arguimus, refertum
omni gratiarum plenitudine excitamus
Autumnum. O quantum Numinis ſapis
optima Virgo? Cùm tui vultus lumina
meditamur, mortalem te vixiſſe nega-
mus: cùm tuæ venuſtatis enumeramus in-
fluxus, hominis ſenſa deperdimus. In
omnes Gentes propter ſpeciem tuam e- *Ez.*
greſſum eſt nomen tuum? tuarum laudũ *13.*
præconijs Europa reſonat vniuerſa, co-
lunt Seres tui nominis dignitatem, ado-
rant Libyci admirabilem tuę formæ po-
tentiam, noſcunt Indi vitales tuæ pul-
chritudinis radios, ſciunt omnes Sole
tuorum oculorum exorto iam tranſiſſe
dolores, & immortalitatis apparuiſſe the- *Eſd.*
ſaurum. Tu tantum ignoras te, ò pulcher- *8.*
rima mulierum, & cùm regio fruerisCan.
Angelorum obſequio, te dicis ancillam: *1.*
cùm lucis æternæ candor, & ſpeculum *Lu. 1*
ſine macula nominaris, te nigram appel- *Sap.*
las? Hoc proprium reginæ eſt, ab aliis *7.*
exiſtimari ſe magnam, quando ipſa ſe
minimi facit: ab alijs teneri ſe luciduſſi-
mo creatam ſanguine, quando ipſa ſuam
originem ſentit à luto. Diſcimus expe-
rimento maximum eſſe Principis faſtu,
Principis humilitatem. Maximum ſcep-
tri decus, negligere vanitatis inſignia.
Fruſtra ſuccingit ſe gemmis, qui vitijs
vndique ſordet: fruſtra coruſcat auro,

 qui

Can. qui animi labe liueſcit. Exue te pompis?
1. ſydera te coronant. Sine ſpretos errare
Ap. ſine lege capillos? in vno crine vulnera-
12. ſti Tonantem. Indue contemptam mode-
Can. ſtiæ veſtem? ſemper amicta Sole renides.
4. Aſpernare ſandalia quondam aliorum
Apo. oculos rapere conſcia? pedibus Lunam
12. premis. Fatere te fuſcam, Soliſque deco-
Iud. loratam incendio? tota pulchra es. Ta-
16. lis eſt, ò Mortales, quæ foris patet Vir-
Apo. ginis pulchritudo. O qualis decorum la-
12. tet intrinſecus compoſitio! Omnis gloria
Ca. 1 filiæ Regis ab intus. Parum ipſa venu-
Ca. 4 ſtum putat ornatum, qui ex hortis, ex
terræ viſceribus, è profundo maris ex-
quiritur: illum arbitratur ſplendidiorē,
qui ex moribus, ex arcano ſenſuum di-
uerſorio, ex intima animi parte detrahi-
tur. Quis perſuadeat ſibi illam ex ore
Pſ. 44 Altiſſimi prodeuntem, cœleſtium ærarii
Ecc theſaurorum non exhauſiſſe? quis dicet
24. illam gemmas pretioſiores è flumine Pa-
Pſ: radiſi non excerpſiſſe, à quo mutuans
45. vndarum vbertatem nomen Maris vſur-
pat? Sed iam materies facundiam ſupe-
rat, & noſtra nimio rerum pondere op-
preſſa fatiſcit oratio. Intumeſcit virtutū
pelagus, & meritorum vento commoti
tolluntur fluctus ad auras. Rutilantior
fit virgineæ pulchritudinis apparatus, &
ſcintillæ ſtuporis vndique circumuoli-
tant. Sinerem me his fluctibus opprimi,
ſed pollutum virgineo Mari Icarum ia-

cere

cere non decet. Lucis huius miracula ſpectaturus in feram non curarem abire, *Ec.* ſed in ſanctuario puritatis Actęonis oculi tenebraſcunt. *43.*

DE PVLCHRITVDINE Beatiſſimæ Virginis.

Spreta tibi eſt ceruix, religaſq; in crine Tonantem,
Quid magis efficeres, ſi decorata foret?
At tu non pateris cultu variare capillos,
Si pura in cęlis aſtra micare vides.
Vt placeāt alię, redigant in vincula crines,
Tu, cùm vis Numē nectere, ſolue comas?

Comę nigræ Beatę Virginis.

Fulgida ſi nitida vernant tibi lumina luce,
Et roſeo æternum promis ab orę diem:
Cur tibi tecta nigro ſūt tēpora cana capillo,
Purpureaſque foues crine nigrāte genas?
Solē, quèm peperi, reſpōdes, frōte locaui:
Noctem, quā potui vincere, necto comis.

ORA-

ORATIO XI.

DE PVRIFICATIONE
Beatæ Virginis.

ADeſt iam dies, qua expianda eſt in
Luc. Templo Deipara Virgo. Deo Dei
2. filius eſt offerendus, ſic vſus expoſtulat,
Le. ſic lex interpellat. Non amplius tene-
12. bras induite Cœli, hoc holocauſto ira-
Iſa. rum deficiet æſtus, & inebriatus in cœ-
34. lo gladius contundetur. Maiorem cæli-
tes non ſunt habituri ſtuporem, pulchri-
orem hoſtiam non inſpectabit Olympus.
Nunc totum, ſi poſſet cœlum conueni-
ret in Templum. Sume Columbas: Su-
me Turtures Virgo. Decet puritatem li-
tare Columbas: decet modeſtiam Turtu-
res immolare. Accede ad Templum. Sed
Ecc. qua nota luſtraberis? Fortè de negligen-
7. tia te purgabis, ſi de cœlo Deum auola-
*Ca.*3 re feciſti? Exues te fortè tunica, quã
ſemper expoliata fuiſti? ablues pedes,
Pſ. quos nunquam inquinaſti? Faciem ter-
44. ges, cuius decorem Rex concupiuit? la-
bia dilues, quorum proprium eſt diffun-
*Ca.*4 dere mel? oculos illuſtrabis, quorum ra-
dijs victus eſt Sol? expolies ventrẽ

val-

vallatum lilijs, in quo plenitudo diuini- *Ca.*
tatis omnis inhabitauit? Pro te lex iſta *Pau.*
conſtituta non eſt: Soror, & Sponſa To- *ad*
nantis es: aliæ metuant mulieres legum *Col.*
mandata, ab Aſſueri pœnis immunis eſt 2.
Eſther. Emundent manus peccatores, pu- *Eſt.*
rificent corda duplices animo: omni cul- 15.
pa vacat Deipara, in omnibus Deiparę *Iac.*
membris triumphat innocentia, ſereni- *Apo.*
tas apricatur. Progreditur tamen: iuuat 4.
virgineam mentem legum non obliui- *Pſ.*
ſci, ſi Virginis meditatio, lex tantum eſt. 77.
Erubeſcite vos Principes terrę, qui ge-
nio blandientes legum vinculis ſolutos
eſſe vos profitemini: captiuum corona,
facitis intellectum, & ſenſibus imperti-
mini libertatem: ſceptro non regitis a-
nimum, concupiſcentias adunatis. Au-
guſta cœleſtis ecce legibus declaratur *Pſ.*
obſtricta: nō ignorat Soli tabernaculū in 18.
vtero præbuiſſe, & ſe fateri nō dedigna-
tur immundam: non illam fugit exunda-
re plenitudine gratiarū, & ābulare neſcit *Pſ.*
in magnis: animaduertit ad ſui obſequi- 130.
um è cœlo ſydera ruere, & terrę flori- *Ca.*
bus fulciri deſiderat. O veram humilita- 2.
tem, quam hoſpita Sapientia Virginis
impreſſit in corde! Scis benè, pulcherri-
ma Virgo, quale mel ex humilitatis la-
tice fluat, & hoc melle Deum infantulū,
primò paſcere in terris efflagitas. Sic
ſtatuis in Eccleſia baſim, & virtutes non
verebuntur hoc humilitatis fundamento

rui-

ORATIO XI.

DE PVRIFICATIONE

Beatæ Virginis.

ADeſt iam dies, qua expianda eſt in
Luc. Templo Deipara Virgo. Deo Dei
2. filius eſt offerendus, ſic vſus expoſtulat,
Le. ſic lex interpellat. Non amplius tene-
12. bras induite Cœli, hoc holocauſto ira-
Iſa. rum deficiet æſtus, & inebriatus in cœ-
34. lo gladius contundetur. Maiorem cæli-
tes non ſunt habituri ſtuporem, pulchri-
orem hoſtiam non inſpectabit Olympus.
Nunc totum, ſi poſſet cœlum conueni-
ret in Templum. Sume Columbas: Su-
me Turtures Virgo. Decet puritatem li-
tare Columbas: decet modeſtiam Turtu-
res immolare. Accede ad Templum. Sed
Ecc. qua nota luſtraberis? Fortè de negligen-
7. tia te purgabis, ſi de cœlo Deum auola-
Ca. 3 re feciſti? Exues te fortè tunica, quã
ſemper expoliata fuiſti? ablues pedes,
Pſ. quos nunquam inquinaſti? Faciem ter-
44. ges, cuius decorem Rex concupiuit? la-
bia dilues, quorum proprium eſt diffun-
Ca. 4 dere mel? oculos illuſtrabis, quorum ra-
dijs victus eſt Sol? expolies ventrem
val-

vallatum lilijs, in quo plenitudo diuini- *Ca.*
tatis omnis inhabitauit? Pro te lex iſta *Pau.*
conſtituta non eſt: Soror, & Sponſa To- *ad*
nantis es: aliæ metuant mulieres legum *Col.*
mandata, ab Aſſueri pœnis immunis eſt 2.
Eſther. Emundent manus peccatores, pu- *Eſt.*
rificent corda duplices animo: omni cul- 15.
pa vacat Deipara, in omnibus Deiparę *Iac.*
membris triumphat innocentia, ſereni- *Apo.*
tas apricatur. Progreditur tamen: iuuat 4.
virgineam mentem legum non obliui- *Pſ.*
ſci, ſi Virginis meditatio, lex tantum eſt. 77.
Erubeſcite vos Principes terrę, qui ge-
nio blandientes legum vinculis ſolutos
eſſe vos profitemini: captiuum corona
facitis intellectum, & ſenſibus imperti-
mini libertatem: ſceptro non regitis a-
nimum, concupiſcentias adunatis. Au-
guſta cœleſtis ecce legibus declaratur *Pſ.*
obſtricta: nō ignorat Soli tabernaculū in 18.
vtero præbuiſſe, & ſe fateri nō dedigna-
tur immundam: non illam fugit exunda-
re plenitudine gratiarū, & ābulare neſcit *Pſ.*
in magnis: animaduertit ad ſui obſequi- 130.
um è cœlo ſydera ruere, & terrę flori- *Ca.*
bus fulciri deſiderat. O veram humilita- 2.
tem, quam hoſpita Sapientia Virginis
impreſſit in corde! Scis benè, pulcherri-
ma Virgo, quale mel ex humilitatis la-
tice fluat, & hoc melle Deum infantulū
primò paſcere in terris efflagitas. Sic
ſtatuis in Eccleſia baſim, & virtutes non
verebuntur hoc humilitatis fundamento
rui-

Ca. ruinam: tibi ipſi videris paruula, ſicut
1. Nardus, & in oculis Dei quaſi platanus
Ec. exaltata conſurgis: tu te nigram appel-
24. las, & Deus in te maculam non agno-
Ca. 1ſcit. Expoſtula purgamentum, expoſce
purificari? Qualis papyrus nigredinem ſuſcipis ad decorem, qualis ſtella tene-
Ec. bras accerſis, vt fulgeas. O pudici pecto-
27. ris ſenſus fideles! ò quàm aptè tot Vates
Pſ. torrenti te contulerunt, cuius vnda vo-
35. luptatis potatus eſt Vniuerſus, & cuius
Ec. eſt inter æſtiui temporis tranquillitates
13. humum radere, & hyeme crudeſcente riparum aggeres ſuperare. Dite aduerſante, cùm Draconis conteris caput, Amazonem repræſentas: cœlo fauente, dùm Numinis Mater effecta es, te ancillam, & communi ſubiectam legi pronuncias. Pudendum eſt nobis, Mortales! quàm falſa nos tenet opinio? quæ ſtimulat ad vanitatem nos cupido potentiæ? Laceſſimus maiorum decreta calumnijs, & ſupercilio grandiori ſydera prouocare non dubitamus: viribus vanæ ambitionis in-
1. Pa. nitimur, & noſtras audentiſſimè cum ſu-
39. peris imbecillitates conferimus: eſſe coram Domino peregrinos, noſtroſque dies vaneſcere, velut vmbras, non recordamur. Remur è claro ſanguine prodeuntes nullis iuribus ſubiacere, & ſuperbientis auræ flatibus intumeſcimus, & Solem excellere claritate præſumimus. Prò Deus immortalis, vbi nam ſumus

ter-

terrarum' quos mores, quæ tempora ducimus. Nec ab impudentia pietas, nec metus ab auſis, nec conſilium à furore nos reuocare ſat eſt. Vehementer erramus! Miremur Virginem è Regibus ortam, cuius ab vno crine cœli correptus *Ca.4* eſt Amor, cuius ab vno oculorum vulne- *Ap.* ratus eſt Deus: cuius capiti formabunt a- *12.* ſtra coronam, cuius artubus amictum tribuet Sol. Illa nos edoctura puritatem, ſeſe indicat puritatis egentem; redditura nos candidos, ſe manifeſtare non curat obſcuram. Quis iam dicet maculam in Sole non reperiri, ſi purgamine indiget innocentia, candore ſinceritas. Effinge tu falſitates inuentrix, & magiſtra *Ge.3.* ſcelerum Eua, vt fraudibus tuum crimē excuſes? Aude mendacio Numen tu fallere, cùm coluber te fefellit? Illius eſt *Sap.* de Domino in bonitate ſentire, & in cor- *1.* dis ſimplicitate firmare veſtigia: illius *1pa.* partes ſunt ſatisfacere, cùm nullo tenetur *29.* iure: ſoluere, cum nulla obſtringitur a- *Eſ.* ctione. Par eſt, inquit, illam legibus de- *2.* trimento non eſſe, è cuius ſinu viua pro- *Pro.* diuit lex. Obedientis eſt loqui victorias: *21.* contumacis ſuſpirare Paradiſi delicias. Meæ purgationis iam impleti ſunt dies: videri meritorum non indignor inanis, quantumuis gratiarum renunciata ſim *Lu.1.* plena. Patior caruiſſe Templo, quæ pe- *pſ.* peri Dominum Templi: quæ vitę fontē *35.* foucrunt, expianda ſint viſcera. Sinat ſe *Nu.4*

redi-

redimi quinque ſiclis, qui vulneribus
Pſ.49 quinque redempturus eſt Mundum? Qui
feras ſyluarum omnes, & montium iumenta poſſidet omnia, vadem pro ſeipſo
non habeat, niſi Turturem, & Columbã.
Sed vadari quis poterat Agnum, niſi columba? Sponſum quis, niſi Turtur? Suſcipe terrarum, & cœli Pater holocauſtum, quod offero. Turturis, & Columbæ cruore permitte iam furor ille ſedetur in hominum genus igneſcens, qui quondam Agni,& Sponſi ſanguine prorſus eſt extinguendus. Exhilareſcat aer, terris exulet hyems,& cœlo nymbi prohibeantur aquarum. Ecce Turturis vox
Ca.2 in Templo, ecce in foraminibus petræ
columba. Tempus putationis aduenit,&
tellus noſtra germinat flores. At tu quid
Lu. agis, ò Simeon? Conſolationem Iſrael,
2. quam tandiù præſtolaris, fortè non vi-
Gen. des: an eum, qui tuis poſtremò labori-
1. bus miſſionem dabit, ignoras? Hic eſt,
Ec. qui lucem olim diuiſit à tenebris,& nũc
24. ad reuelationem gentium indeficiens lu-
Ge.2 men effundit. Hic eſt, qui mundo adhuc
naſcente, vitæ ſpiraculum in faciem hominis inſpirauit, & nunc illo quoque collabente in eiuſdem hominis animam ſalutis auram inſpirat. Intueri iam videor Senem illum apertis vlnis obuiam procedentem, & longè ſpectati teneros Numinis artus auidis amplexibus occu-
Pro. pantem. O quantum triumphat anima, v-
bi

bi completum eſt deſiderium! quo taci- 13.
to liqueſcit affectu, cùm formoſitatis cõ-Ca.5
templatur exemplar! qua cordis dulce-
dine deficit, cùm ſentit ſuauitatem odo- pſ.
ris! Encomia, lætitiam, comitatem, ob- 44.
ſequia, quibus Dominum alloquitur Si-.Ec.
meon, reminiſcendo recognoſcere, lon-3Re.
gum eſſet. Diſtingue, ſi vales, amplexus, 4.
& littoris diſtribueris arenas? numera, ſiGer.
potes, oſcula, & ſtellarũ numerus vide 15.
bitur expeditior? Aduertimus præ gau-
dio lachrymas, audimus prægeſtientis
animi motu clamorem, ſed non poſſu-
mus nos exclamare cum Simeone, nunc
dimittis Domine populum tuum in pa-Lu.2
ce. Quæ pax reſidebit in cordibus ſuper-
borum? oculi arrogantiæ tenebris circũ-
fuſi Dominicum ſalutare non cernunt?
ab initio ſuperbiam deſpexit Omnipo-Iud.
tens, & humilium, & manſuetorum de- 9.
precationi duntaxat arriſit. Tu paruę
Deus, qui è Domino conuerſus appares Pau.
in ſeruum, erudi nos doctrinam humili- ad
tatis, & pectora, quæ tot vanas enutriere Ph.
cogitationes, virtutum redde ſalutarium 2.
receptacula. Oblatione tui, quam ipſe-
met facis Patri Deo, nos illi reconcilia- Pſ.
ri ſperamus. Oſtendiſti populo tuo dura, 59.
nunc oſtende miſericordiam: tibi ſolum Pſ.
magnitudinem damus, tuæ Sanctiſſimæ 84.
Genitricis patrocinium inuocantes, ad
tuos pedes gemebundi prouoluimur. Hu-
milia ceruices noſtras, vulnera noſtros
ani-

Pro. animus Cœleſtis Amor? Delectat nos
15. humiliari, ſi veram producit humilitas
gloriam. Delectat nos vulnerari, ſi excitant vulnera vitalem amorem. Humiliati tuæ maieſtatis aſpectum dignabimur intueri: vulnerati mortis iacula non trepidare diſcemus.

DE PVRIFICATIONE

Beatæ Virginis.

Beata Virgo offert par Columbarum.

Binas Virgo dicat Tēplū ſubitura Colūbas:
Scit quantū Superis pura Colūba placet.
Ite cruētato volucres procul vngue rapaces?
Virgineos oneret ſola columba ſinus.
Haud potis eſt alias pro munere ferre volu-
Quæ Spōſo viſa eſt vna colūba Deo. (cres,

Ad Beatum Simeonem ſuper illa verba, quæ Beatæ Virgini dixerat, tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit. alludens ad illa

Agrippinæ, occidat, modò imperet.

Quid Senior Natū expectās Sotera, Parēti
Ceu moriturus Olor, triſtia fata canis?
Nēpe necē riſit Genitrix truculēta Tyrāni;
Et metuet nati Numinis alma Parens?

Re-

Regnet Natus, ait, ſedeſq; euertat Auerni,
Ipſaque vulneribus protinus icta cadam.

Oblato Ieſu non fient amplius oblationes ſanguinis.

Viua ſuſurranti ſileant incendia flammæ,
Non magis antè aras victima cæſa cadat.
Numen Virgo litat, cœli quo pãditur ædes,
Et Charitum nymbis terra repẽtè fluit.
Ne genus Iſacidum iactet ſua ſacra: Tonãti
Hęc modo pro cunctis hoſtia ſola placet.

Beata Virgo cùm ſit Puriſſima, vult quoque iuxta leges, purificari.

Tergi fœta ſacris, qua lege mouetur ad aras,
Quæ, cùm nata ſolo eſt, lege ſoluta fuit?
Quas pellet maculas? cęli quo lumine egebit,
Quæ viſa eſt Solem continuiſſe ſinu?
Noſco, cur ſubeat charo cum pignore Tẽplũ,
Luſtrarique velit, quæ radioſa micat.
Cũcta prius meruit leges ſubigendo, merere
Nunc nil, ni legi ſe ſubigendo, poteſt.

ORATIO XII.

DE BEATA VIRGINE

cum Puero Ieſu in Ægyptum fugiente.

ERgo noui ſyderis radius, qui pro nato Numine terris felicitatem in-
Exo. dixit, in Regum animos furorem infun-
14. det? Lingua cœli, quæ Dei magnalia pandens illuxit, immanitates, & ſtrages exprimet Tyrannorum? Congeſta ſunt ferrum, cruor, venenum, lictor, laniena, ſatelles: vbique mortis palleſcit imago, vbique flagrat crudelitatis incendium.
Mat Depellendus eſt ad occaſum iuſtitiæ Sol,
2. mactandus eſt Deus. Deus ille, qui no-
Pſ. men vltionis depoſiturus è cęlo deſcen-
93. dit ad terras, Regum vltioni fit in terris obnoxius? Sol ille, qui mortales à tenebris vindicaturus enituit, à mortalibus præcipitandus ad tenebras obſidetur? Deo quis præbebit præſidium? Soli quis offeret receptaculum? O mirum! Deo ſuccurrit nox, Soli nubes auxiliatur.
Pſa. Hinc reor nox ſicut dies cæpit illumi-
138. nari, & caligines obliuiſci, ſtellarum didicit iactare fulgores, & diſtinguere pul-

pulchritudinem inter vmbras. Hinc nu-
bes, opinor, candori valuit maritari, &
ſuauitatis emittere nymbos, deſijt hor- *Ge.9.*
reſcere tonitru, & fœderis ſigno ſagittas
irarum contundere gloriatur. Fauet no-
cturni ſilentij quies, & ſuper nubem, quę
Virgo eſt, Dominus fugitiuus aſcendit. *Eſa.*
Qua tandem recumbet in ſolitudine? in- *19.*
gredietur Ægyptum. Decet, vnde vetus *Nũ.*
ſucceſſerat Legislator, illuc nouæ legis *10.*
Authorē appellere, vbi cum filijs com- *Exo.*
moratus eſt Iacob, illic ſtellam ortam ex *12.*
Iacob ſuas ducere ſtationes. Felix nu- *Nũ.*
bes, cui Solem illum tegere datum eſt, *24.*
cuius Sol iſte, quo fruimur, fauilla eſt. *Eze.*
Non tu è viſceribus terræ producta es, è *40.*
montibus ſanctis originem deduxiſti, æ- *Pſ.*
ſtu meridiano non concreuiſti, Sancti *86.*
Flaminis halitu coaluiſti. Age nunc de *Za.*
terra Aquilonis eripe Deum infantulũ? *2.*
Non tibi ad volandum cupiendæ ſunt a- *Pſ.*
læ, felices æterni Veris auras ad tuos *54.*
greſſus experieris ancillas. Fuge crude-
les oras, & quò tutam Olympus præpa- *Exo.*
rat ſtationem, i velox? Tu, cùm populus *13.*
Iſraelis molitus eſt fugam, inſtar colum-
næ laſſis apparuiſti, & vias pelagi liqui- *Pro.*
das, reddidiſti protinus lapidoſas. Tu *31.*
Mulier illa fortis, in qua cor viri confi-
dens, ſpolijs non egebit: Tu illa noctur-
næ quietis ignara, quæ ſolum mentem
erigis ad æterna, & manum extendis ad *Lu.1*
fortia. Generationes beatam te dicent

 om-

omnes. Fugit hac circundatus nube De-
Eſa. us ille Deorum, Dominus exercituum
13. qualis damula, qualis ouis? Fugit ille,
Deu. qui tela cum torquet, concutit montes;
32. qui cum concipit iras, vniuerſum pauo-
Lu. re depopulatur. Cur ſi venit ignem mit-
12. tere in terras, vt Elias igne ſaluus non
4.*Re*fit? adhuc contra audẽtes in Arcam Do-
1. mini tempeſtas telorum immurmurat.
Mutatus eſt Deus, odientes nõn amplius
conuertit in fugam; quem nunc tractat,
non furoris, ignis amoris eſt. Nunc ille
culpas ſupplicio non metitur, compen-
ſat pietate piacula, ſeueritatem clemen-
tia ſuperat, moderatione flectit inſaniã.
E fuga tuum inchoas bellum, ò bellator
Pſa. amoris? Parcis fulminibus, ſed repro-
32. bas conſilia Principum: recedis à cam-
Pſ. po, ſed ſpem triumphi non deſeris: veri-
42. tatis lumina ſpargis, ſed inimicorum in-
ſidias decipis. Habes copiam puniendi,
& facultatem miſerationis exerces. Po-
tius ſuper terram videri vis profugus
homo, quàm Deus vltor. O quàm citò
delicijs humanorum orbaris? paſtorum
cytharæ, & cantus repentè conuertuntur
in queſtus, & in ſuſpiria. Regum adora-
tiones, & dona momento temporis com-
mutantur in minas, & in diſcrimina. Nõ
Mundi fortunam, hominum veniſti gu-
ſtaturus affectus? Operam mortalium di-
gnitati non nauas: ad mortalium iniuri-
as perferendas aspiras? Abite ſceptra in
oſten-

oſtentatione tantum auguſta? Abite faſtus verſatilium dignitatum alumni? aliæ in terris purpura manent Deum, alijs in Mundo coronis coronabitur Dei caput? Incaſſũ times Herodes? tua regia Chriſtum non capit: qui dominatur à mari vſque ad mare, & termino poteſtatis nõ clauditur, tui regni non eſt contentus anguſtijs? Qui regnat vbique, & elementorum famulatu lætatur, ſolium tuum non ambit, & tuæ dominationis gloria non allicitur? Incaſſum moues arma Tyranne? non inter puerorum naſcentium flores, quem manu furiali perquiris, inuenies? Prodibit, cùm tempus aderit, occidendus è vepribus Agnus. Furem putas regnorum in terris, qui cęleſtium faſcium donator eſt prodigus. Lac, quod inſtar fluminis verſas, tuam nequit veſtem confirmare purpuream. Turres, quas paras, tuam non vindicant vitam ab illo, qui de cœlo deſcendit in pluuiam. O quantum te excœcauit ambitio! O quãtum præſumptio te confudit! Solem vides, & non euadis è tenebris? Deum cernis, & humanam non aduertis imbecillitatem? In canopico regno arbores ecce Numen agnoſcunt, Verbum Deorũ ſimulachra teſtantur. Illę humi procumbendo ſalutis venerantur authorem; iſta in auras euaneſcendo, ad Solis aſpectum vmbras ſe confitentur. Par eſt ubi vitæ fructus afflat odorum, arbores exultare;

Pſ. 71.

Gē. 22.

Eſ. 45.

 vbi

vbi lux veritatis elucet, conticeſcere ſuperſtitionis errorem. Olim, dum proficiſci nouerat filios Iſrael, lætata eſt Ægyptus: nunc dum aduenire proſpicit
Pſ. puerum Iſrael, Ægypti facies renouatur.
103. Aura libertatis exhilarat ſedes, quas ſeruitutis vincula perturbarunt. Vnde tribulationum aquæ fluxerunt, deliciarum exiliunt fontes. Hic ſiſte fugam, ò Virgo? Heliopoli dignior in Ægypto locus
Pſ. non eſt. In ciuitate Solis educandus eſt
18. gygas: tuæ nubis tantummodò humore Solis tellus eſt irriganda. Hic de pectore metum excute, & ad ſerenas filij luces age dies. En veſtrum vtriuſque irradiata luminibus Canopi tota plaga fulgeſcit, ciues omnes de veſtro gratulantur aduentu. Nilus quoque vos hoſpites excepiſſe ſuperbit. Nilus ille, qui caput omnibus ſemper occulit, vobis illud dũtaxat manifeſtat obſequentiſſimum. Egreſſus ex alueo vos adoratum occurrit. Aſpicitis illum herbis, floribuſque crinitum œſtro agitari fatidico, vndaſque è
*Cã.*5 barba, & mento fundentem, quaſi præ
Pſ. gaudio lachrymari. Salue (inquit) Vir-
44. go pulcherrima mulierum, Salue puer ſpecioſe præ filijs hominum. O quid auguſtum apparet in adulta! O quid magnum latet in paruo! Vtrique fronti cõcolor animus eſt: vtriuſque animi tenorem fortuna non labefactat. Fugitis, & in extrema fortuna, & fuga nomen adhuc

huc regium retinetis. Expugnabitis vos
ſtellarum influxus, neceſſitatis vincula
vos frangetis. Tu Numinis Parens vſq: *Cã.2*
dum calamitatum tranſiet hyems, & la-
chrymarum imber abibit, dolori tuo ſi- *Thr.*
milis dolor non erit, cor tuum tanquam *1.*
cera liqueſcet, pectori tuo confoſſor nõ *Pſ.21*
deerit gladius. Tandem, cùm apparuerint *Lu.2*
flores, coronaberis: tuos lambet Luna *Cã.1*
pedes, & Cœlum tibi ſeruiet vniuerſũ. *Cã.4*
Tu hominis Fili, breui viues, vt homo: *Apo.*
æternum, vt Deus. Pro te parum in ter- *12.*
ris felicitatis intueor, multum in cœlis. *Can.5*
Caput iſtud formoſum, quod aurum op- *Can.*
timum imitatur, ſpinis circumdabitur a- *4.*
cutiſſimis: labia iſta, quæ melle, & am-
broſia fluunt, felle, & aceto madeſcent: *Cã.5*
manus iſtæ, quæ hyacinthis plenæ cernũ-
tur, clauis ferreis configentur. Proh pu-
dor! proh nefas! Plures inter conuiuia,
nullos numerabis inter ærumnas amicos
Alter auaritia victus te vendet: alter vi-
tæ trepidus te negabit. Byſſum, quam
indues, componet irriſio, ſanguis tuus
pretioſiſſimus purpurabit. Heù quot fla-
gra, quot contumeliæ ad Crucis trium-
phum te ducent! Quis crederet hauſtum
inter Virginis lilia ſpirituum, inter latro-
num ſpinas emittes? Sed triduò victor è
ſepulchro reſurges, tartarea debellaueris
regna, corruptum recreaueris Mundum.
O nos felices! Spiraculum vitæ, quod a-
miſimus, expectamus in flammam amo-

ris. His dictis fugientium greſſus comprimuntur extemplò, & quod prius Vatum fuerat refrenare fluminum curſus, fugam Vatum continere flumen vſurpat. Gaude igitur gaude hoſpitio tàm fortunato, ô felix Ægypte? Eripe te penarum tenebris, & oculos ad veram lucem attolle? Iam fictilium Deorum abhominare mendacia? Non enim cum veritate coniungitur dolus, ad ſolium virtutis iniquitas nunquam admittitur. Vt tibi floreat tellus, è longè flores adueniunt: vt tibi fulgeant ſydera, cœlum immutant. Quem tibi quondam nox, & caliex. gines ademerunt, auſpicio nunc lætiori 10: nox, & nubes afferunt Solem.

DE FVGA B. VIRGINIS

Cum Puero in Ægyptum.

Rupe ſub exeſa Paſtorum carmine natum
Gaudentē Genitrix dum fouet alma ſinu,
Ecce parætonios (cęlo mandante) penates
Pignore cum profugo iam fugitiua petit.
Et longū cū cernit iter, trepidantis in ore
Numinis, humanum commiſerata genus,
Stulti homines (inquit) lętos quid quęritis
Gaudia ſi ſubitò deſtituere Deum? (annos

De eodem Argumento.

Lin-

Linquere dũ patrias fidiſſimus Aliger oras,
Et petere Ægypti littora tuta monet:
Auditurque odio Regẽ feruere latente,
Et rabida in puerum tela mouere Deum.
Indolet exortos Virgo mirata labores,
Et ſecum hæc animo plena timoris, ait.
Heù poſtquã Regũ luxit præſepibus aurum,
Rupta eſt ætheree pacis amica quies!

De eodem Argumento.

AD B. VIRGINEM.

Sopitus Iacob Syriȩ peregrinus in aruis
Inter humum mediã vidit, & aſtra viã.
Illinc Alituum viſȩ ire, redire phalanges,
Et ſummo ſcalæ vertice ſtare Deus:
Tu vigil at cernis pharias peregrina per oras
Omnia ſtelligeræ limina aperta domus.
Et superũ toto dũ plauderis agmine Diuum,
Arridens cœli à culmine Numen ait.
Sũt tua, quæ terris mundi confinia calcas,
Sunt tua, quæ cœlis regna beata vides.

ORATIO XIII.

DE PVERO IESV AMISSO.

TRiſtiſſima ſemper, Mortales, menſura calamitatum felicitas eſt. Non ſuc-

ſuccedit tranquillitati ſerenitas, gaudiũ incunditas non ſectatur, florum ætati natura non parcit, indoli generoſæ fortuna non cedit. In incerto verſamur, & in
Iob. volubili ſede conſiſtunt humana nego-
30. tia. Cùm præſtolamur lucem, tenebræ erumpunt: cùm quietem precamur, diem afflictionis offendimus. Ampliſſima Principes palatiorum fundamenta conſtituant, immenſo conſtructas marmore moles ad cœlum attollant, plurimorum nanciſcantur inſignia faſcium, honoratos coronæ crines innectant: non ideò temporis non concutientur iniuria, aduerſos ſyderum irridebunt influxus, inter virgas regalem ſortem includent, lethiferis caput periculis adiment. Quis poterit voluptatibus deſtinatus Mundi vitare miſerias? Cœlites quoque cùm terrarum vſi ſunt diuerſorio, mortalium ſenſere viciſſitudines. Ecce Virago illa priuilegijs inſignita cœleſtibus, mulierum decus, & fortitudo, legibus, & in-
*cā.*8. ſtitutis non vacat humanitatis. Affluebat illa delicijs, Numinis Genitrix ſalutabatur ab Angelis, infantis Dei fruebatur alloquio, è cuius lumine Paradiſum bibebat in terris. Quid illa lætius facie?
Luc. Quid illo dulcius vultu? Gaudebat in
2. puero adoleſcere ætatem, cuius conſiliũ ſapientiam ſapiebat æternam, cuius animi vis Tonantis Genitoris gratiam exprimebat. Super hoc lapide felicitatum

col-

collocauerat ſpes, hoc monſtrante lapide viam, vitæ veſtigia diſponebat. Quicquid neceſſitas poſtulabat, cum Ieſu infante non deerat: iuſtam dediſſe crediderat humanis anxietatibus miſſionem. Sed quò non irruis mœror hominum aſſiduus comes? Tu Virginis ſub pectore commorandi præcupidus, Hieroſolymis Dei filium curas amittendum. Sic incipis à Genitrice immaturas exigere lachrymas, & cor, quod olim dolore conficies, timore nunc cruciare non deſinis. Graue mœrendi argumentum vnigeniti Numinis orbitas eſt! Nunc putat mœſtiſſima Mater in pectus anguſtias, & in animam *Lu. 2* doloris deſcendiſſe mucrones. Nunc putat terram nutare vniuerſam, & ferruginea cœlum circumuolui caligine. Soli- *Io. 3.* taria, nec laude digna ruebat è cœlo nox, duplicis Solis ſtillanti rore ſydera lugebant abſentiam, inanes aeris cāpos ocyor volitabat aura, & querulo ſuſurro, potius quam profecti Solis, amiſſi Numinis ſuſpirabat intuitus. E noctis vmbra, ò Deipara, ſine Sole te remāſiſſe cognoſcis? è rorantium ſyderum comploratu inuitaris ad fletus? è ſuſpirantis auræ ſibilo excitaris ad queſtus? Vidiſtis vnquā vos, ò ſcrutatores aſtrorū repetito curſu retrogradi Lunam? Ecce per veſtigia iam calcata reuertitur Virgo Luna pulchrior, & fulgentior, ſi Solis, à quo radios mutuabat, deſiderari dignitatem ad-

uertit. Per campos, & per plateas quærit quem diligit, & dilecti vox non audi-
Cã.3 tur, ſponſi lumina non coruſcant. Quis numeret gemitus, quibus ipſa ad pietatẽ elementa conuertit? Quis referat voces, quibus ipſa percutit ætherem? Quò te fers, inquit, mi Ieſu? vbi lates mi fili? longè pedem à matre remouere non ſoles? à Genitricis oſculo diſtare non cupis? paruulus es, & maternis vlnis ſuſtineri te decet? delicatulus es, & materno calore fouearis indiges adhuc? Veni, redi dilecte mi? ad meas lachrymas propera, amplexibus meis occurre? Ah te non cerno, & quò te ſequar, ignoro? Scio vbi lachrymas, vbi ſingultus inueniam,
Eſd. qua pergam ad filium, via veritatis non
1. patet? Quis Matri, ne filio frueretur inuidit? quis matri reſtituet filium, cui parem ſydera non nouerunt, terra non produxit æqualem? Vbi vultus ille beatus,
Luc. vndè virtus, quæ ſolabatur omnes, exi-
6. bat? vbi corporis ille habitus, vndè charites didicere ſuauitatem? vbi inceſſus ille diuinus, qui terras incenſurus, Amo-
Pſ. ris eſt, & meos nunc dolores aucturus
18. Gygantis eſt. Æſtimate vos, quibus affectus viſcera maternus adurit, quali cordis amaritudine lacerer? Non eſt plan-
Eſd. ctus meus ſimilis terræ, quoniam vetris
4.10 mei perdidi fructum. Ipſa volui deprædari, cùm publica in via manifeſtaui theſaurum? Ipſa meæ fui orbitatis origo,
cùm

cùm in ciuitatem Agnum adduxi! Habet *Gen.*
ſuas ciuitas feras peſſimas. Vereor ne in *27.*
illum Leones irruperint, timeo ne ille
Latronum vinculis oppreſſus extiterit.
Sed quomodo rapi debuerit, qui ve- *Pſ.*
nit animas erepturus ab impijs, quomodò *16.*
ſuperari potuerit, qui Leonem, & Dra- *Pſ.*
conem conculcaturus acceſſerit? Quò te *90.*
penetras fili? vel conſiſte, vel me tua
deduc in via? in ore filij Nun viguere
voces, quæ Solem ſiſtere potuerunt, in
oculis matris, lachrymæ, quæ valeant *Iob.*
filium retinere, non extant. Varijs cogi- *20.*
tationibus agitor, mens rapitur in diuer- *Eſ.*
ſa. Abſconditus Deus eſt: forſan ipſum *45.*
terras incolere pœnituerit? Sed ipſe etiā
conuerſari cum filijs hominum, delicias
duxit. Forſan ipſum carne redimitum
humana puduerit? Sed ipſemet ſerui for- *pro.*
mam expopoſcit è cœlo. Forſan imitator *8.*
Adæ delituerit? Sed quo pacto, qui nu- *Pau.*
dus non eſt, immò omnium virtutum or- *ad*
namentis indutus, occultabitur. Proſili *ph.2.*
ergo, mi Fili, & tui præſentia Matris æ- *Ge.3*
greſcentis medere languores? Veniſti *Eſ.*
ablaturus ab omni facie lachrymas, & *25.*
nunc in oculis Genitricis fluenta ſuſcitas *Eſ.*
lachrymarum? Veniſti mortem præcipi- *2.*
taturus in ſempiternum, & nunc dum
abes, morti das locum? veniſti docturus
nos vias tuas, & nunc ſemitas tuas non
ambulamus? tales fundens ab ore voces
gemebunda Hieroſolymam Deipara re-

petit

petit. O quale portendit in tot amaritudinum tenebris lumen! O quale in tot animi tempeſtates prudentiæ præbet experimentum? Aſpiceres Peregrinæ dolentis faciem, cui ſpes adhuc renidet in fronte: admittitur triſtitia in ſupercilio, ſed ab oculis non excluditur comitas: rubor fugatur à genis, ſed à labris non exulat lepos: ipſam curſu crederes ceruam ſalutis herbas ad ſua vulnera perquirentem, ſed tanta cupiditate flagrat ad viam, vt ipſi ceruæ curſus ſatisfacere minimè videatur. Inquietæ mentis argumentum demonſtrat in greſſu, ſed conſtantiæ teſtimonium exponit in fide. Doloribus ebriam ſe fatetur in motu, ſed cogitationibus temperatis tolerantiam ſemper vſurpat. Sic vbi pietas moderatur affectus, rationis nauis naufraga non fatiſcit. At hic vere Deipara nauis eſt, quæ vada cœca Mundi huius excurrens, Sole, quo fulget, indiga eſt. Expandit carbaſa charitatis, & qua ſemel intumuerunt, aura non perflat: puppem ad tutos ſinus neſcit appellere, ſi qua carinam fundet, anchora non eſt. Circuit ciuitatis Ægæum, per vicos, & plateas, quaſi littorum ſtationes circumuolat, laborat, æſtuat, agitatur. Modò diuerſo curarum fluctu iactatur, modò naufragas lachrymarum ebibit vndas, modò immanibus timorum ſcopulis deterretur, modò in varios dubiorum ſyrtes impingit. Quo-

uſque

uſque tandem patieris, dulciſſime Ieſu, vnica Matris cura, Nauem hanc, quæ panem de longè portauit, incertam per tot ſolicitudinum vndas errare? Iam bis è Gange aureum caput extulit Titan, & dies in Genitricis oculis nunquam illuxit. Pone modum materno dolori, ne lachrymis fac obruatur, quæ per te ineffabilium pondere onerata eſt beneficiorum. Quam ante abyſſos formaſti, ne permitte, vt in ærumnarum voragines corruat. Decet iam itinere ſatis concuſſam aſpectu ſolari tuo? Adeſto Matri, pulcherrime Fili? Cum Mater per Vrbem queribunda vagatur, in Cathedra filius inſidere non debet? recenſe dotes, quarũ gratia captus, languore confectus es? Memor vberum eſto, quorum dulcedine victus, faſtidiſti cœlorum ambroſiam? Relinque Doctorum commercia, ad Matris gemitus curre? Ipſa, apud quam vitæ mortalis auram hauſiſti, in tuorũ brachiorum portu aliquando reſpiret. Venient tempora triſtiora, cùm dolenti opẽ ferre non poteris, & quos tuæ ſapientię admiratores nunc audis, illos olim in tuum diuinum caput coniuratos aſpicies? Detege Matri tua lumina luciduſſimum ſydus? Illa verſatur in nocte, ſi tuo in vultu non apricatur. Si Sol es, ad lachrymarum mare te confer: ſi ſapiens es, vernat cor ſapientium, vbi triſtitia eſt.

pro. 31.
Ca. 1.
Ec. 7.

DE BEATA VIRGINE,

quæ amiſerat Puerum.

Obſeruata ſequi ſolitus veſtigia Matris,
Queritur amiſſus lata per arua Puer.
Numinis infātis quę duxit ad ātra Dyna-
Cur eadē Matri ſtella micare nequit? (ſtas
Exclamare auſim, in Tēplis expoſcite, nūquā
Vel fora, vel cætus continuere Deum?

De eodem Argumento.

Beata Virgo ad Angelum Gabrielem.

Gratia quę meritis me repleat Aliger Aethræ
A me, ſi ſuperum gratia maior abeſt?
Victus amore mei penetralia linquit Olympi,
Et mihi nunc alios præpoſuiſſe queat.
Ah ego in immenſa curarū voluor abyſſo,
Nec, cùm naſcebar, condita abyſſus erat!
Ruptane laudati tam fortia vincula crinis?
Si volat hinc liber, qui modò prędą fuit?
Ne poſthac oculi veſtras iactate ſagittas:
Ex vobis quando lachryma ſola fluit?

De eodem Argumento Ad B. Virginem.

Incipe Virgo Deū perquirere męſta per Vrbē:
Has quodā, heu, curres quā gemebūda vias
Nunc

Nūc vt Sole cares, olim ſic orba manebis:
Hæc fletus tanti nuncia gutta venit.(das,
Perdura in lachrymas, ſi Sol declinat in vn-
Forſitan hic etiam venerit ad lachrymas.
Scimus adhuc Solē nō promere lumina, rore
Si non ſtella ſuo florida prata rigat.(tris
At tu ſācte Puer Cathedrā nūc deſere, Ma-
Depelle ex oculis nubila, redde diem?

Beata Virgo ad Puerum Ieſum
in Templo repertum.

Audiſti cœlum noſtris reſonare querelis,
Noſtraq; nūc lachrymis ora madere vides?
Tam citò blāditias placuit liquiſſe paternas,
Tam citò maternos deſeruiſſe ſinus.
Impete quo impulſus noſtros exoſus amores?
Vel quò cœleſtis te reuocauit Amor?
An magis experiare viæ fidiſſime Ductor
Ducere te amiſſo ſi poteramus iter?
Ah quod iter poterāt veſtigia carpere, noſtris
Si tu iam deeras vnica meta vijs.

ORATIO XIV.

DE CHRISTI SECESSV

In deſertum ad B. Virginem.

SIc es, ò Virgo, lachrymis, & quere-lis ſemper addicta, quod ſemel ali-

quando de progenito Deo lætari non
poſſis? Sic in amaritudinem verſa eſt cy-
Iob. thara tua, quod vnquam pro nato Nu-
30. mine exultationis hymnos pangere ne-
Iſ. queas? Nunc illum in paratonios fines
46. transfugam comitari compelleris. Nunc
illum per Hieroſolymæ vicos amiſſum
inquirere mæſtiſſima cogeris. Deerat,
tantum pro illo inter ſpelæa ferarum a-
deſſe, vbi radijs Sol fulget attonitis, tel-
lus educat ſpinas, ſaxorum ſtructura ſi-
tus horreſcit, vbi campos voluptatis vn-
da non rigat, quietis aura non perflat,
germinum odor non ſpirat, vbi concuſ-
ſum ventorum turbine plangit nemus,
veſtigia deſiderantur humana, aerem in-
ficiunt flatus aſpidum peſtilentes. Ecquid
agis in deſerto dulciſſime Ieſu? arundo
Ma. non es, quod agitari vento depoſcas? Fe-
1. ram non ſonas, quod inter beſtias gaude-
Ca. 2. as conuerſari? Flos es, cui ſpeciem pudi-
citiæ campus eſt elargitus, cui pinxit fo-
Nu. lia candor integritatis. Stellam lumine
24. refers, quæ tenebras nigrantis Abyſſi de-
pellens tot filios lucis expones in Mũ-
dum; quę procellis finem imponens cœ-
lum indicabis in portum. O quam diſtas
ab oculis, quorum vulnere langues? O
quam abes à crine, cuius nodo vinciris
in terris! Rigeſcit hyems, & non deter-
reris à niuibus? cœli cataractæ pateſcũt,
Pſ. & imbres vitare non optas? Placeat me-
16. miniſſe è petra deſerti te miſſum eſſe, vt
ter-

terræ Dominator exiſteres, non vt inter agreſtia loca ruſticareris. Agnus es, & abruptas habitare cautes Agnum non *Apo.*
decet? Qui te quondam appellauere Leo- 5.
nem, ſyluas nouerant te fortè peragraturum? Eia age, reuertere, & tui præſentia maternum alleua conſolando dolorem?
Quicquid poſcis in Orbe terrarum, ha- *Ca.*
bes in Matre? Ipſa, cùm emicuit delicijs 8.
affluens, deuorauit ſpecioſa deſerti. Sed *Ioe.*
heù me miſerũ, loquor incaſſum! A ſpi- 1.
ritu, qui Columbæ ſub imagine deuolauit è cœlo Ieſus ductus eſt in deſertum: *Mat.*
flammis, quas ipſe vibrat, reſiſti non po- 4.
teſt: impetus, quo fulgurans ipſe defertur, obſtaculum non admittit. Ipſe eſt omnipotentis Dei vigor omnipotens, qui cordium penetralia vertens, modò in animos maſchile virtutis robur inſpirat, modò charitatis ardore mentes inſtimulat, modò veritatis luce cogitationes exornat, modò mores ſermonum affabilitate componit. Ipſe eſt, qui conti- *Sap.*
nens omnia, nunc magiſter eſt ſapientiæ, 1.
nunc diuinorum oraculorum interpres eſt, nunc triumphorum laudes oſtendens aduerſus vitiorum exercitus bella, pugnaſque ſuadet, nunc perhibens documẽta ſilentij pandit iter ad ſolitudinem. O *Oſee.*
quæ detegit diuinitatis arcana, cùm fatur 2.
in ſolitudine! Non audiſſet conſolatorẽ *Ge.*
Angelum Agar, niſi locos perrexiſſet ad 21.
inuios: aeream ad cœlos viam Iacob nõ

agnouiſſet, niſi campo peregrinus quie-
3 Re. uiſſet inhoſpito. Elias, cùm fugit ad la-
19. tebras, cæleſti ſatiatus eſt pane. Moyſes
cùm montem ſe penetrauit in abditum,
diuini colloquij fruitione dignatus eſt.
Non aperitur cor Deo, niſi Mũdo clau-
datur. Qui cuncta regit oculorum intui-
tu, in abſcondito tantum videt. In ſoli-
tudine cœli mœnia diſrumpuntur, & de-
Eſ. ſcendit Paradiſi beatitas. O ſi poſſes tu
64. loqui Ioannes nemorum, ſyluarumque
habitator primarius: diceres quidem, fe-
lix tantum viuendi genus in Mundo eſt,
quod maieſtatis virgam exercet in bel-
luas, mutuat coronam à roſis. Sine me-
tu vitam producit Eremus, ſine ſcelere
mentem ſolitudo cuſtodit. Quem in ci-
uitatibus fauum non noui, hic è nemo-
roſis arboribus faui copiam colligo. Ibi
carnis lenocinia pompæ graſſantur: hic
dilectæ paupertatis fulgor elucet. Ibi
fraudibus inanis gloria pollet: hic ani-
mi puritate ſerenat humilitas. Ibi ſpe-
ctatur Abyſſi tumultuantis exemplar, hic
adeſt futuræ felicitatis imago. Dulce eſt
egredi in agrum: in villis commorari,
Ca.7 deliciosum. Hoc blandimento delicia-
rum in receſſus traxit Ieſum diuinus A-
mor. Quas palmas illi pollicetur in ſyl-
uis! Quæ victoriarum inſignia illi præ-
parat in deſerto! In deſerto vincendus
eſt, qui vicit Adam in Paradiſo. Qui ſub
veris amœnitate ſuos potuit decantare

tri-

triumphos, ſub hyemis horrore ſuas incipiet deplorare calamitates. Quas in Paradiſo aduerſum nos adornauerat tartareus hoſtis, ipſemet induet in deſerto catenas. Qui deiecturus homines vſus eſt cibo, præcipitabitur ipſe ieiunio. Palæſtra deſertum eſt. O miſer Anguis! Recede ab arena iam victus? Quod in humani generis Principẽ inſufflaſti venenũ, in Deum authorẽ vitæ nõ euomes? Quem aggrederis, petra eſt, & ſuper petram vestigium imprimere neſcit Coluber. O *pro.*
vanas monſtri infelicis inſidias? Lapides 30.
tractas contra lapidem angularem? Num *Re.*
te fugit in Terebinthi valle formidabilem illum lapide profligatum præcipitẽ abijſſe gygantem? Ignorasne confractũ etiam lapidem corruiſſe Nabuchodonoſor ſuperbiſſimum ſimulachrum? O quãta in lapidibus virtus ineſt! Cœcus es, ſi *Pſ.*
in lapidem pedes offendere non aduer- 90.
tis? Surdus es, ſi vocem, quam de pariete lapis emittit, non audis? Accipiamus *Ecc.*
iam ſperatę felicitatis auſpicia, Morta- 32.
les? Facta eſt ſalus, & virtus. Præſtole- *Iſ.*
mur inter amica deſerti ſilentia ſalutare *Ab.*
Dei? Auditis vocem Domini concutien- 2.
tis deſertum? Victoria parta eſt. Auditis *Ap.*
tenebroſi Dynaſtæ fremitus, & lamenta? 12.
Impiorum perijt ſpes. Adſunt Angeli *Tb.3*
pœana concinentes æternum. O trium- *Pſ.*
phum ſanè cantibus tantummodò cele- 28.
brandum angelicis! Veteris epinicij me- *pro.* 10. *M.1*

moria reuocatur in cœlis, quotieſcunq: noua Draconis iactura ſpectatur in terris. Sed tu fortiſſime victor Ieſu cur hoc
Can. ad prælium non aduocaſti Parentem, quę
6. veluti caſtrorum acies ordinata terribilis eſt? Nonne illa eſt, quæ turrem in
Ca.4 collo portendens propugnaculis decoratur, & mille clypeis, omnique fortiũ armatura præfulget? Nonne illa Regina eſt, quæ ſemper aſtans à dextris tuis, ia-
Ec. ctat in omni gente primatum, cunctorũ
24. rebellantium animos propria virtute conculcat? Decebat mulierem eſſe vindictæ conſortem, ſi deuincta contumelijs
Ap. mulier cecidit. Ecquando ad euolandũ
12. in deſerta locorum mulieri dabuntur alæ? cuius proprium eſt Draconis conterere caput, nunquam illa Draconem laceſſet ad pugnam? Sola morabitur inter lachrymas, quæ ſuperis ſtipata phalangibus poſt debellatas inferorum machinas aſcendet ad ſydera? Aderit tempus monſtrorum iniquiſſime Serpens, cùm nullo puncto temporis intermiſſo verſaberis inter anguſtias, & cornua feritatis amplius non extolles? Cùm videris Erebi ſolium cecidiſſe, miſerè mugies? Cũ ſenſeris effractas Erebi vires, fortiter vlulabis. Te manet iugum, quod non confringes: vincula, quæ non rumpes. Perdidiſti conſilium in deſerto, ò quantum laudis amittes in vinea! Capientur vulpes, & flores perniciem non timebunt.
Ex-

Extinguetur dolus, & læta meabit dies. Veni nunc Ieſu tantæ gloriæ præcurſor inſignis, & age tuum Matre gaudente triumphum? An quæ te vocauit e cœlo, è deſerto reuocare non poterit? Ipſa veniret ad te, ſed latet via, dum delites tu? Ades, nunc Matrem Virginem exhilaraturus, & exuuiarum lætitiam cum Matre Virgine confer? Ades, & è qua habitum ſumpſiſti mortalem, humanas reſume vires? Poſt labores quietem carpere, æquũ eſt. Sol cùm Canum rabiem perdomuerit, caputque Baſiliſci contuderit, Virginis requieſcit in ſinu.

BEATA VIRGO CHRISTO
Ad deſertum pergenti.

I propera in ſyluas ductũ ieiunia? ſiſtam
Ipſa domi lachrymas ebibitura meas.
Quæ geſſi hoc vtero, tecũ tua lumina portas?
Ipſa Parens Solis tempora nigra traham?
Dixerat: at Natũ Matris nō lachryma ſiſtit:
Stat mōſtrãte viã Patre habitare ſpecus.
O quali remanes Virgo ſtupefacta dolore!
Quid tibi iam ſupereſt, ſi tibi Vita deeſt?
Nec tibi ſi Gabriel cœli decreta referret;
Tecum, non poſſet dicere, Numen adeſt.

De eodem Argumento.

Lux mea quid latitas inter ſpelæa ferarum?
Ruſtica quid tanto luſtra nitore repleſ?

Scilicet in ſyluas veniſti immittere flãmas,
An mage diuino corda cremare foco?
Nate redi, et ſi deſertas vis quærere terras?
Deſerta eſt tanto facta dolore Parens.
Siuè placēt latebræ, tēpus ne accerſe, propin-
Cũ ſpina tectus, cũ latebroſus eris. (quat,
Hæc vbi dicta dedit, vituri præſcia ſenſit,
Expallere axes, & trepidare ſolum.

ORATIO XV.

DE PROVIDENTIA

Beatiſſimæ Virginis ſuper illis verbis Euangelij. Vinum non habent.
D. Io: c. 2.

Lu. 2 ERumpunt tandem è pectore Virginis, quæ diũ ſeruata ſunt verba. Decuit hactenus obmuteſcere, vbi ſilentiũ
Ec. non rumperetur charitatis in ſonum. Sic
24. vitis, niſi fructum eſt præbitura, ſuauitatem odoris non promit. Sic Nilus, niſi ſterileſcentes vndarum copia fœcundaturus eſt campos, intra limites aluei ſui taciturnè ſe continet. Sic cœlum, niſi æſtiuo Sole areſcentia rigaturum eſt germina, in rorem aura leni non ſoluitur. Feliciſſimos nos mortales! quo gratiarũ fluenta decurrant in nos, repertus eſt a-

quæ

quæductus: quo nobis nitor diuinitatis effulgeat, orientis patefactum eſt oſtium. Ite procul dolores ſæuiſſimi cordium humanorum carnifices, procul diſcedite curæ quietis, paciſque perduelles inexorabiles. Non amplius conuiuiorū domui domus luctus eſt præferēda. Cui pulchriora vino ſunt vbera, illa præparat ad pellendas amaritudines vinum: quippè, quę nouerat in vino latitare lætitiam, è Medico vitę vinum hilaritatis implorat. Quæ comparata nobis felicitas non fluxis gaudijs inhæreſcit? Audiuimus alijs optatas eſcas pluiſſe de cœlo, ſed in deſerto: legimus alijs terram vltrò cupita germina produxiſſe, ſed inter Serpentum inſidias. Noſtræ voluptates inter nuptias enaſcuntur. Citra quietis ſpem noua vocamur ad gaudia, imò etiam citra votorum cupidinem noſtræ tranquillitatis omina ſecundantur. Gratiorem in dies nobis fortunā arridere experimur. Mortales eſſe nos cernimus, & diuinis dignamur obtutibus: humana, cùm nos deſtituunt bona, beneficijs locupletamur æternis. Nihil remanet cogitare, ſi quæ de cibarijs nos prouideat, Mariam habemus: animo iam vacamus, et amplius precordia non vexant anguſtiæ. O quanta es Virginis pietas, quæ neceſſitatis iura præcurris? Præoccupas qui te concupiſcūt, et illis te prior oſtendis. Cùm mortalium deſideria ſatiare non potes, labo-

Ec. 24.
ecc. 7
Ca. 1
Pſ. 103.
Ex. 16.
Ge. 3
Sa. 6

ras,

Pr. 31. ras, æſtuas, cruciaris: panem portaſti de longè, vinum portare ſupererat. Quid mirum eſt, vinum lætitiæ eo fonte manare, quo ſemper oleum miſericordiæ largiter fluit. Introduxit te Rex in cellam vinariam, vbi ineffabili charitate repleta es? In omnes gentes tuæ charitatis flamma colluxit, tuæ largitatis effectus omnia ſæcula celebrabunt. Vbi terrarum eſt, quò tuæ pietatis fama non appulit? quò monumenta beneficiorum impreſſa non extent? Quaſi oliua ſpecioſa vireſcis in campis, roſarum ſuauiſſimo odore perfundis montes, inſtar platani in plateis appares, inſtar lilij emicas inter ſpinas. Te maria colunt in ſtellam, te conſtituunt regiones omnes in portum. Tu ſalutem publicam vehis, tu pacis Iridem nuncias. Iraſcatur extemplò Deus pœnas exacturus à culpis, nunquam noſtra Parens à pietate recedat. Corruptus aer ventos excipiat noxios, & crudelè in terris excitet peſtilentiam, adeſt vnde profluat noſtra ſalus. Areſcat tellus, & agricolarum ſpes ariſtis fallantur vanis, vera Ceres eſt nobis indeficientis annonæ largitrix. Cum langueſcimus, ab ipſa duntaxat opem ſperare fas eſt: cùm noſtris infirmitatibus ſæpiſſimè frangimur, ab ipſa reſumimus vires: cùm vitæ periculo laboramus extremo, ſpes omnes haurimus ab ipſa. Vidimus, ò Deipara, tuorum natalium orientem noſtrorum

Ca. 1.

Ec. 24.

rum

rum diſcriminum aſcendentem occaſu. Cùm cæperunt tuorum oculorum radij præfulgere, abyſſi tenebras in Orbe non vidimus. Nouimus tuæ pulchritudinis gloriam noſtrarum miſeriarum exitio decoratam. Cùm tui crinis vinctura hominum animas extenta ſunt retia, læthiferæ ſeruitutis laqueos amplius vnquam non nouimus. Magnum decus eſt, magna liberalitas, magna dignitas, magna munificentia Virginis: non capiunt noſtrorum pectorum anguſtiæ, leuitas illa noſtra non recipit, animorum noſtrorum egeſtas non contemplatur, non ingeniorum infirmitas ſuſtinet, non inſolentia rerum ineffabilium tantam perſonam, tã miſericordem, tàm benignam, tam piã. Hic ſi fræna facundiæ ſoluere vellem, quaſi lato erupta campo per Virginis eximias laudes properaret oratio, & modò fidei vias excurrens, noua ſtupori argumenta ſuppeditaret, modò ſemitas veſtigans humilitatis perſonatam in terris cæleſtem gloriam deprehẽderet. Sed vereor ne, cùm charitatis igneſcentem callem offenderet, cuius incendium fines occupat omnes, exuſta deficeret eloquẽtia, & reuerſioni non eſſet locus. O faces Virgineæ charitatis propemodum infinitas! E cuius calore liber euadit nemo, *Pſ. 18.* cui multę aquæ non nocent, cui cuncta flumina cedunt. Iſta ſuis lãpadibus ignis, *Cã. 8* atque flammarũ nigrãtes hyemes ex ae-

Ef. re depulit, & inuſitato nubes ardore cō-
45. burens, Iuſtum depluere coegit in rorē. Quale gaudium fuiſſet in toto terrarum Orbe percepimus, cùm ex vtero foris agnitus eſt Seruator. Quis tum præ lætitia non ouauit? Præ iucunditate non exultauit? Sit inter glorias Virginis humanæ naturæ copulaſſe diuinam. Cùm Mundi moles videbatur omninò collabi, virgineæ charitatis erat progignere, cui niteretur, Atlantem. Rectè igitur, ò Virgo, vniuerſi ſpes vna es, è qua noſtra producta libertas eſt, noſtrorum bonorum prouenit incolumitas. Indicant, quę in Templorum parietibus ſuſpenſæ col-
Ec. lucent tabellæ, quæ ſis? Officia amoris,
24. ſtudij, & pietatis, quæ nobis adhibes,
Mat. Matrem dilectionis eſſe te prædicant. Tu
7. Arbor illa es, quæ fructum feciſti tam bonum, è cuius guſtu mortis perniciem
Ge.3 non glutimus, ſed vitæ cæleſtis libamus dulcedinem. Tu ageres ille, quæ pretio-
Mat. ſiſſimum fouiſti theſaurum: ad cuius cu-
13. ſtodiam abyſſos non poſuiſti, ſed virtutū
Ij. exercitus conuocaſti. Sed dignas in te
12. laudes conferre non poſſumus? Gratias, quibus humanum auxilii genus, numerare non valeo. Age porrò, ſi lætos ducimus dies, non tu tranquillitatis es auctrix? Si tot fulminum mortes ignoramus, non tu terrarum es tutrix? Nihil dico, quid inter tam varias, & ærumnoſas temporum viciſſitudines chriſtiana

reſpu-

reſpublica conſecuta ſit: nihil quid nos nihil quid omnes. Niſi poſtremum ad tot calamitates Italiæ tu ſolicita adfuiſſes Patrona, quò nunc fidei decus? quò nunc ornamenta religionis? Quoties Eccleſiæ Naui, cùm aduerſis concuſſa procellis ruitura deficiebat, ſalutarem manum gubernaculis addidiſti. Scimus accepti commentaria cumulare, repenſi chirographum obſignare neſcimus. O nos ſemper ingrati animi macula delibutos? non habitant vna beneficium, & memoria, & cùm ſemel illud intrarit, vnquam iſta non venit. Placet mœrorē commutare lætitia, conſternationem inhibere conſtantia, depellere ſecuritate formidinem, mendicitatem fugare potentia, ſeruitutem libertate delere. Sed vnde tot felicitates emanant, originem non aduertimus. Fruimur aura leni, & lenis auræ non curamus authorem: decurrentes bibimus vndas & fontem obliuione penſamus. Quiſnam hæſitauerit Soli vbertatem, cœli temperiem, lætitiā animorum, pacem, honores, emolumenta, quibus omnes ab ærumnarū alluuione deſciſcimus, Vniuerſus felicitatis titulo decoratur, è Virginis manu delabi? Reſtaurata eſt per Virginem ad innocētiæ ſtatum humana conditio: aſpicimus ſingulas Mundi regiones delicijs affluētes. Vinea noſtra floret, & flores fructus peperere ſperatos. Nulla Vulpes demolitio- Cā 2

litionem oſtentat. Credibilis aurei ſæ-
culi fabula facta eſt, & palam profertur
in medium, quicquid proſperitatis fa-
*Cã.*5 buloſa ſomniauit antiquitas. Clama, tu
*Ex.*4 Virgo, inter has temporum amænitates,
bibite amici, & inebriamini Chariſſimi.
Ge. Sponſus ſanguinum, qui ſtolam ſuam la-
49. uat in vino, pocula adornat. Conuictus
*Sa.*8 illius amaritudinem non admittit: dul-
*Pſ.*18 ciora ſuper mel, & fauum apponuntur in
Eſa. menſa. Bibimus nos cum cantico, & ab
24. vbertate tuæ domus inebriamur. At quid
Pſ. pro remunerationis vice tibi dabimus
35. Virgo? Hydriæ lapideæ tantum ſunt no-
bis: lapides ſunt corda noſtra duriſſima. O
Soph. vtinam illa aquis plena valeremus offer-
2. re! Sed aquis adhuc egemus, & ſpinarũ
Ioel. ſiccitate iugiter obdureſcimus. Tu tan-
3. ge illa, & ſoluentur in latices. Tuum eſt
Exo. e ſaxis vndas elicere, ſi pariendo mon-
15. tes docuiſti parere lac, & mel: nec te
Pſ. præterit lignum, quo vertantur in dul-
44. cedinem aquæ, ſi Regis, qui ſublimaue-
rit lignum, aſtas à deſtris.

DE PROVIDENTIA Beatæ Virginis.

Alludens illis verbis, Vinum non habẽt; & reſponſo accepto quid mihi, & tibi Mulier, nondum venit hora mea. Ad Dominum Ieſum.

Par-

Paruus eras môtes, cũ promere mella iubebas,
Quin mera nũc grãdis currere vina iubes?
Quę quõdã inſolitas potuit producere ſtellas,
Nũc erit in lymphis fortè minuta manus?
Eia age ſolicitam Fili ſolare Parentem?
Illum, ſi eſt mater Numinis, vrget amor.
Nõdũ tẽpus adeſt (reſpõdes:) ſcilicet alto
Nondũ expectatus venit ab axe calix.

De eodem Argumento.

Ad Beatam Virginem.

Conuiua es Virgo, quid curas pocula mẽſę?
Quid Natum vino deficiente grauas?
Conuiuatores ſuſpenſa mẽte volutent,
Quas ponãt eſcas, qualia vina parent?
Noſco equidem te nulla tenẽt obliuia noſtri,
Dum vota incaſſum nullius ire ſinis.
Vinũ ergo poſcas, & manent pocula cœlo:
Quod deeſt in terris, fons pietatis habet.

ORATIO XVI.

DE BEATA VIRGINE

Chriſto Domino patiente.

QVi nuper luce Solis adhuc plaudente tot præconijs decoratus trium-

umphum egerat Hieroſolymæ, inter tenebras noctis factus Agricola laborat in horto Getſemani. Vbi palmarum lætitia? Vbi populi plauſus? Quàm citò illa omnia ex lætitia, & voluptate, ad luctũ, & lachrymas reciderunt, vt qui paulò antè deſignatus fuiſſet Rex, retineret
Iſa. repentè nullum veſtigium priſtinæ di-
24. gnitatis. Ceſſauit gaudium tympanorũ, lętãtium murmur quieuit, cytharæ dul-
*Mal.*cedo conticuit. Laborandum in horto
2. eſt: vbi non perflat Auſter, ſuſpiria reſo-
*Cã.*5nant, Turturis vox non auditur, calice
*Cã.*2tormentorum cernitur Angelus. Hic radix humanitatis corrupta ſanitati reſtituenda eſt: quam voluptatis hortus per-
Pſ. niciem protulit, auferet hortus dolorũ.
115. Age Deus precare Patrem, vt metant homines in exultatione, ſi tu iam ſeris
*Io.*2.inter anguſtias: rideant hominibus cœli
Gen. ſydera, ſi tibi plena formidinis obſcurã-
3. tur: illi iam paſci deſinant in ſudore, ſi tu riuis ſanguinis vndique ſudas. Sed imperturbatur oratio prætoriæ cohortis erumpentis intuitu. Faces, & arma poterant præmonſtrare rapinam, niſi quoque proditionem ſocij rebellantis oſcula deſignarent. Aude Monſtrum infame contra Mundi Architectum inſidias machinare? Stellarum, cœlorumque motorem ſiſtere non te pudeat oſculo: vende
*Ec.*8 infelix indeficientem pro exiguo auro theſaurum: alios ferrum perdere aſſue-

uit, aurum te perdet. Heù ſcelus! Qui *Iob.*
ligat aquas in nubibus, à militibus vinci- *26.*
tur arctiſſimè. In eius capite aurum com- *Cā.5*
probant optimum. Manus illius tornati-
les aureas, plenaſque hyacinthis agno- *Mat.*
ſcunt. Rapitur theſaurus, qui latebat in *13.*
agro. Ad aſpectum vero theſauri, neſcio
rapientes timore ne, an gaudio cecide-
rint. Quis non credet adeſſe in theſau- *Pſ.*
ris abyſſos, ſi repentè corruũt inuaſores? *12.*
Perijſſent, ſed huius theſauri maxima
virtus eſt periclitãti donare vitam. Spe-
ctandus per fora, per aulas trahitur. O
triſtiſſimam noctem! quantum ab illa,
qua natus eſt Deus, degeneras! In illa
cœli mel ſtillauerunt, in iſta cruore tel-
lus purpurat innocenti! Illa ſalutis, &
tranquillitatis omina propalauit, tempo-
ra gloriæ, & gaudiorum indixit: iſta di- *Io.2*
em tenebrarum, & caliginis, diem nu-
bis, & turbinis generabit. Ite vos tamẽ
improbi, ſceleſtique latrones, vobiſcum *Pro.*
eſt Via? Via ſapientiæ vobis monſtratur, *4.*
ſed aliò inter veſtra corda diſponunt. Vi- *pro.*
am Paradiſi calcatis, & vos Erebus op- *16.*
peritur. Ad Tribunal deducitis verita-
tem: ignoratis veritatem in aula non
commorari? Dimittitur, & quod huma-
næ veritatis non eſt, in Iudicum animos
veſtigia pacis imprimit. Hiſce tantum *Eſ.*
diebus pax, & veritas facta eſt. Circumi- *39.*
te Hieruſalem, an inueniatis virum, qui *Hie.*
Dei puniat innocentiam. Super Deum *5.*

4 Eſ.Iudex non eſt, contra Dominum non eſt
7. conſilium. Indurant profligatores illi ne-
ſro. quiſſimi facies ſuas, & mel de petra non
21. ſugunt, ſanguinem pertrahunt: non oleũ
Deu. de ſaxo, cruentum ſudorem eliciunt.
32. O bone Ieſu quam dulcis es? Largiris
pacem, cùm cæderis: nectis fœdera, cùm
Ec. illuderis. Patere iam ad columnam mar-
24. moream deligari, ſi thronum tuum in
Exo. columna nubis ædificaſti. Hac duce co-
13. lumna ſanguinis tui mare rubrum eſt
tranſeundum. Delectat è catena Pharao-
nis exemptos alterno fuſtium impetu in
mancipium redigere libertatis authoré.
Delectat diuino nectare ſatiatos, cœleſtis
cibi liberalem datorem paſcere ſputis,
& contumelijs. Sic beneficia rependun-
tur iniuria, fauores obliuione delentur.
Tot victorijs, quas cœlũ præſtitit, plau-
ditur alapis: tot gratijs, quas affatim ſy-
dera diffuderunt, reſpondetur opprobri-
pſ. 6. js. Labora in gemitu Domine: honeſta-
Sap. bitur labor, dum Regis purpura veſtie-
20. ris, dum ſceptro potieris arundinis? Iam
iam ſpinarum diademate coronaberis;
iam iam prolaturus oracula, ſipario cir-
cundaberis. O quale decus tuæ pollicen-
tur irriſiones! Qualem tua conuicia mo-
liuntur honorem! Nunc adeat Mæſtiſſi-
Eſa. ma Mater, & Filium inter honorum in-
53. ſignia virum dolorum repræſentantem
aſpiciat. Sceptrum, corona, clamys gra-
tulationis exhibent argumenta: vulnera,
deri-

deriſiones, opprobria miſerationis ex-
poſcunt officia. Nemo intuetur, quin in-
gemiſcat: nemo ingemiſcit, quin erum-
pat in fletum. Hic eſt ille flos, quem è *Ca. 2*
tuæ Virginitatis campo eduxiſti! Hic il-
le Sol, qui lucem tuis è viſceribus mu-
tuauit! Quàm languet impiorum ſucci-
ſus aratro: Quàm horreſcit tenebrarum
obſeſſus caligine. Obmuteſcit os loquẽs
grandia, quod mutorum aperuit ora, *Dan.*
leonumque concluſit. Pallescit vultus *7.*
candidus, & rubicundus, cui Seraphim *Dă. 6*
alis blandiri gaudebant, & à quo terra *Ca. 5*
rum Orbis manauit hilaritas. Geminus *Eſ. 5*
ille fulgor oculorum tabeſcit: maieſtas *Hie.*
illa frontis contrita eſt: odor eius dun- *48.*
taxat non eſt immutatus, fortaſſis vt tra- *Ca. 1*
hat te. Agnoſcis mulierum triſtiſſima ge-
nus tuum? Obſtupeſcis rigefacta ad rigi-
das pœnas, quibus ipſe intra ciuitatis mæ-
nia cumulatur: quid erit, cùm ille foras
exibit ad montem? Hic furor inſaniuit
in viuum, illic extincto non parcet. Ec-
ce truculenta ſatellitum turba circumda-
tus raptatur ad montem. Videtis oculi
Deum ad locum ire ſupplicij, & vos vl-
trò non properatis ad lachrymas? Quan-
do melius lachrymarum latices diſſolue-
tis, ſi ad prodigium Dei laborantis arc-
ſcitis? Proh quàm graue Crucis pondus
eſt Deo! Qui toto vitæ curſu gygantis *pſ. 18*
imitatus eſt greſſus, pedes ad crucem ef-
fert infirmos. Vniuerſorum onera pecca-

torum congeruntur in cruce. Iſte ille I-
Ge. ſaac, qui tunc immolandus ſuis humeris
22. holocauſti ligna portabat, immò iſte il-
le Aries, qui repentè viſus inter vepres
hærere, ſuperſtitis Iſaac ſuffecit hoſtiam.
Quis neſcit humanam Iſaac illum præ-
monſtraſſe naturam, quæ iam propter
tot ſcelera irreuocabiliter ferro deſtina-
batur, niſi vas adfuiſſet hic Aries. O no-
ſtram ſanè deplorandam immanitatem?
Nos peccamus, & iſte luit: Nos infamijs
Eſ. obſtringimur, & iſte cum ſceleratis eſt
53. reputatus. Proh quàm crudeliter clan-
gor ille tubarum ad ſeueritatem excitat
ps. animos perfidorum? Qui iam antea cun-
21. ctorum terræ exercituum ſalutatus eſt
Dominus, nunc opprobrium, & abiectio
factus eſt plebis. Iter ad montem proſe-
qui vetat dolor. Flagra toties iterata,
probra ſæpius repetita, vulnera iugiter
renouata, niſi cor lapideſceret, cerni, &
audiri non poſſunt. Extremus illi in
pſ. monte conceditur labor. Iam video Ie-
61. ſum velociter ad patibulum cucurriſſe:
tollitur ad Crucem, & ſitit. Vtinam, cui
congregationes paruerunt aquarũ, fontis
ũda permitteretur. Vos mõtes, qui fudi-
ſtis ipſo naſcente dulcedinem, ipſo mo-
riente cur non exudatis in lachrymas?
Rerum auctori negatur aqua, & Spiritus
Domini ſuper aquas ſolitus ferri, ſuper
alas ſuſpirij volare diſcit. Oſtento tam
flebili èueſtigio erubeſcit Luna, confũ-

ditur

ditur Sol, trepidant elementa, ſcinditur
Templi velum, animantur cadauera, ſa- *Mat.*
xa molleſcunt. Tu ſolum popule nequã 27.
duritiam retines, & Seruatoris extincti
latus nouo vulnere lacerare non dubi-
tas. Aſpicis aquam confoſſo è latere de-
fluentem, ſed quæ te poteſt inhumanita-
tis arguere, tuis ex oculis fontes elicere
nequit. Audis Matrem in defuncti plaga
Filij ſauciatam lamenta ſonantem, cuius
mœrorem lugubri cœlum imitatur ami-
ctu, & pietate non commoueris. Aſtat il-
la Crucis ligno vicina, & facta eſt quaſi *Th.* 4
lignum, ſi florem, quem genuit, areſcere
cernit in ligno pendentem. Laceros ſinit *Ca.* 4
errare crines, ſi quem religarunt in cœ-
lo, iam perdiderunt in terris. Maculas
mœroris admittit in genis, ſi genarum
amator non adeſt. Fulgorem amandat ab *Sap.*
oculis, ſi quem vulnerarunt, iam cecidit. 8.
Orbatur delicijs, & inter ſpinas verſari
tantummodò cupit. O vos (inquit), qui-
bus iter hinc eſt, aduertite, ſi dolor do-
lori confertur meo. Terra mihi deſerta *Th.* 1
eſt, ſi pietatis corda non nutrit. Conſo- *Th.* 3
lari cœlo non poſſum, ſi cœlum nubes *Th.* 1
opponit. Longè factus eſt à me conſola- *Hi.*
tor. Confracta eſt Virga fortis, baculus 48.
glorioſus! obſcuratum eſt aurum, muta- *Th.* 4
tus eſt color optimus! Exuite me ſtola *Ps.*
pacis, amaritudinis ſacco me cingite.
Sic placuit tibi, dulciſſime Fili inter te-
nebras deſerere Matrem? Alij ſolent pro

lacte lachrymas morienti genitrici perſoluere, tu dum meā præcurris mortē, à ſuperſtite matre lac, & lachrymas exigis? Cur mihi non licuit humano milites explere cruore, quos tu ſatiaſti diuino? In me(ſi Deum gignere crimen fuit) debuerant arma conuerti, quæ te mortalium expoſui vitæ. Sed heù cui vi-

Pau. tæ! Veniſti in Mundum, & non Regum

ad delicias es ſecutus, ſerui ſuſcepiſti for-

ph. 2 tunam. Gauiſus es eſurire, cùm fueras

Io. 6 panis: ſitire, cùm fueras fons. Lux eras, & paſſus es obſcurari: virtus eras, & infirmitati te ſubdidiſti: vita eras, & telū non aſpernatus es mortis? O quam fatidicè in Mundo appellaſti te Vitem? Frigora ſuſtuliſti, cum natus es. Senſiſti vulnera putatoris, cum circunciſus es. Vſtus es facibus Solis, cùm moratus es in Ægypto. Pluuiarum expertus es tædia, cū in deſertum abiſti. Ventorum turbine ſtimulatus es, cùm inſanientis in te populi tumultus audiſti. Prelum tandem ſubiſti, cum damnatus ad Crucem dilaceratus, & tortus es. O quale vinum decurrit è Cruce! Bibite, & inebriamini

Ca. 5 iam Chariſſimi? Ah nemo cōpūctionis vi-

pſ. no potatur. Plura voluebat, ſed repen-

59. tino prępedita dolore, ſiluit diuina Parens. Plures ipſe quoque ad tantum funus parameram queſtus, ſed vbi illa conticuit, orationem decet perorare ſilētio.

DOLORES B. VIRGINIS
In Paſſione Domini.

D. Ioannes ſignificat B. Virgini captum à Iudæis Chriſtum Dominum, duci ad locum patibuli.

Numinis infantis cœli prænunciat Ales
Cunas, fatur homo Numen adire crucem.
Angelus eſt homini abſimilis, ceù funera vitæ:
Ille fuit vitæ nuncius, iſte necis.
Tu tamē, ò Genitrix, verbo turbaris vtroq;
Illo ignara times, hoc tremefacta doles.

Beata Virgo videt Ieſum in columna ligatum.

Quos potis eſt animo gemitus iterare, colūnæ
Vinctū dum Natum Virgo dolere videt.
Cōſiſtit, grādeſq; oculis niſi funderet imbres,
IPſa putaretur facta columna Parens.
Poſt ait, ah talē poſcūt quæ crimina pœnam,
Quæ faciunt talem crimina ſæua reum?
Hei mihi! tu nullis culparis Nate piaclis,
Solū in te Iſacidum barbara turba furit.
O tua ſub quantis ludūtur nomina formis,
O tua ſub quanto vulnere mēbra dolent.
Sunt curarū alibi confinia certa columnæ:
Principium eſt tantis iſta columna malis!

Ad Beatam Virginem
De Filio Ieſu ad mortem eunte.

Natum, quē Solymæ vidiſti nuper ouantem,
Captiuum ad montē funeris ire vides.
Nectūt vincla manus, et frōtē ſpina coronat,
Purpureus tingit cādida mēbra cruor.
Triſtis ad hæc retices, gelidos dolor occupat artus
Plāgere cū velles, obſtupefacta ſiles.
Tātū animo voluis, Simeō quod dixerat, illa
Principiū, heu, tanti ſāguinis, vnda fuit?

Chriſtus è Cruce ad Beatam Virginem.

Quò raperis Mulier? quid flēdo accedere tētas?
Quid mihi quaſſa nouo mēbra dolore premis?
Siſte, heu, ſiſte queri, ṗęnis vexamur vterq;
Angeris ipſa meis, āgor et ipſe tuis.
Eia age Mater abi, noua vulnera iūgere noli:
Sint ſatis ad tantā vulnera quinq; necē.
Placidū ferit ira, manuſq;, pedeſq; latuſq;,
At neſcit cordi parcere matris amor.

Mulier ecce Filius tuus.

Ecce tuū, ò Mulier, pignus, me funere triſti
Linquere te cogūt vltima iuſſa Patris.
Iſto interna nouo ſolabere vulnera Nato,
Extincti implebit pignoris iſte vicem.
Pignore in hoc tecū me viuere poſſe reuolue:
Hoc ſimili in vultu, crede, ſuperſtes ero.
Nāq; meo poſtquā duxit ſub pectore ſomnū,
Tūc homine obliquus, reſtitit ipſe Deus.

Bea-

Beata Virgo ſuper ſpinis in capite Domini Ieſu.

Siccine ſãguineis præcingis tempora ſpinis,
Et ſpinas Vitis non aliena facis?
Heu nũc qualis ineſt in te mortalis amaror?
Das vuas alijs, aſpera ſpina tua eſt.(figũt,
Ah quoq; ſpina mea eſt! ſpinę hæ mea viſcera
Et cruor in guttas deſtuit ex oculis.
Tantũ alijs vuas Vitis dulciſſima præbe?
Aſpera ſpina tua eſt, aſpera ſpina mea eſt.

Dum Beata Virgo aderat ſub Cruce.

Aſtat Virgo Cruci, curis ſtupefacta, videtur,
Ni currant oculi flumine, facta ſilex.
Corpore quem Natus, viſu bibit illa dolorẽ,
Quoque ille exanimis deperit, illa riget.
Ingẽnioſus Amor, quę dat ſpectacula? fletu,
Quos nequit in fluuios vertere, ſaxa facit.

Beata Virgo ad Dominum Chriſtum morientem.

Ergo Nate peris, et ego ad grauiora relinquor!
Quę mihi te extincto vita ſuperſtes erit?
Heu quãtũ attonito lãguẽt elementa dolore,
Dum te cõſpiciunt, Nate cruẽte, mori.
Perdit Luna iubar, caligãt lumina Solis,
Nigreſcit radijs ſydus vtrũq; ſuis.(maras,
Cur nõ ipſa gemã, in lachrymas nõ ſoluar a-
Et lachrymæ fluuij more perennis eant?

Nam

Nā ſi decurrēs te ducet ad æthera ſanguis,
Sola mihi æthereum lachryma pādet iter.

Beata Virgo tempore Paſſionis Ieſu
nimio dolore oppreſſa
ſilebat.

(xit
Quis, dū Natus obit, Genitricis labra reuin-
Promere ne querulos poſſet ab ore modos?
Flecteret Iſacidas Mater gemebūda querelis,
Rumpere ſi lachrymis aſpera ſaxa poteſt.
Tu dolor admotas retines in gutture voces!
Tu facis vt rabies impetuoſa ruat!
Cogis et incaſſū ſeruare ſilentia Matrem:
Pro Matre incipient nunc elemēta queri.

Et petræ ſciſſæ ſunt.

(mo
Numē obit, lāguetq; Parēs, et fracta ſupre-
Nō gens Iſacidū, petra dolore gemit.
Expirare Deū, Matrēq; recumbere ligno
Languentē, exanguē petra videre nequit.
Tu ſolū Iſacida, heū potis es lapideſcere,
Deſinit in ſpecubus durior eſſe lapis. (quādo
Impie, cui ſcopuli ſēper ſub corde rigeſcūt,
Exemplū à ſaxis nunc pietatis habes?

De B. Virginis dolore: Alludit
ad illa verba.
Mare facta eſt contritio illius.

Quē naſcēte Deo nō eſt experta dolorem,
Depereunte Deo ſuſtinet alma Parens:
Qu.e-

Queq; Deo plenus nō ſenſit tormina viter,
Cor nunc Virgineū cōgeminata grauant.
Cernitur ò quali langueſcere Virgo dolore,
Quam faciunt pœnę crimina nulla ream.
Facta dolore Mare eſt, cui dāt ſuſpiria vētos,
Et lachrymæ vndantes vda tributa ferūt.

De eodem Argumento.
Ad Beatam Virginem.

Sāguine ſtagnātē nos cernimus ūdiq; Chriſtū
Et lachrymis nullis lumina noſtra madēt.
Heù cur nō fluidas imitātur lumina plagas?
Quin lachrymę effuſi ſāguinis inſtar eūt?
Areſcunt oculi, lapidoſaq; corda rigeſcūnt,
Confuſoque nitet nullus in ore rubor.
Tu noſtris oculis lachrymarū flumina prębe,
Virgo, quę Chriſti in funere facta Mare es.

Longinus Lancea Chriſtum
configit.

Rebar, Diua Parēs, cum Nati funera vidit,
Deſiſſet laceras imbre rigare genas.
Fortè elementorum ſocio ſolata dolore,
Fortè atro aſpiciens ſydera mæſta polo.
At poſtquā in Natum Lōginus torſerit ictū.
Ictu vno vidi contremuiſſe duos.
Illa cor, ille latus cōfigi cernitur: haſta eſt
Confixus natus, fixa dolore Parens.
Ire heù pone modum, miles, miteſcere diſce
Heù tandē à ſaxis, quę tremefacta dolent.

De eodem Argumento.

Tu quoq; nũc haſta deeras, vt mẽbra ferires,
Mẽbra tot indignis exanimata modis?
Nec te, miles atrox, totũ quę mouerat Orbẽ
Matris inextinctę maxima pęna mouet.
Diuiſũ eſt vulnus cũ matre ſuperſtite, pectus
Scinditur extincti vulnere, viua dolet.

Ad diem Paſſionis Domini Beata Virgo.

Quę mihi męſta dies oculis ſpectacula præ-
Quã diſpar alÿs ipſa diebus ades? (bes?
Cincta nitore prius, tenebris nũc obſita cęcis
Solis ad exequias nubila cuncta vocas.
Heũ ſic clauſa mei mõſtras mihi lumina na-
Totq. flagris nati liuida mẽbra refers. (ti,
Cernere quid ſupereſt, ſi iã Sol lumina clau-
Quis nõ liueſcet, ſi modò liuet Amor? (ſit?
Te luctu funeſta dies, lachrymiſq; notabo:
Sed Sole extincto nõ potes eſſe dies.

Beata Virgo Extinctum ſepelit natum Ieſum.

Saxis Virgo tegit, quẽ vellet pectore, pectus
O quantum ſaxis aptior vrna foret.
Lunis eſſe nouę potuiſti hoc vẽtre, profatur,
Tres modò per Soles nũc latitare nequis?
Scis, ô Virgo, tuam Natus cur deſerat aluũ,
Et claudi in terræ viſcera cæca velit?

Dc-

Debuerat tecum tunc æthera pādere, victor
Debellare imum nunc phlegetonta cupit.

Attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.

Si qua ſuos iactat Mulier miſerāda dolores,
Cōſimilē nulli cernat & illa meū. (corde
Tranſiit hāc animā gladius, tot vulnera
Senſi, quot natus verbera dira tulit.
Fracta dolore foret vita hęc, niſi viuere vitā
Me plus, vt doleam, cogeret ipſe dolor.
Ergo vos omnes, callem qui carpitis iſtum,
Dicite cuncta meis damna minora malis.
Sic queritur Virgo nati prope ſaxa ſepulti,
Saxaq; dāt lachrymas, et tenereſcit humus.

De Paſſione Domini ſuper illa verba Cant. 1.

Nigra ſum, ſed formoſa. Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decolorauit me Sol.

Sū nigra, quod cineres nequeunt producere
Ieiuno reſidet nullus in ore color. (lucem,
Cādida ſed mētis pulchrā me lumina reddūt
Quòd mihi pellucet pectore pura fides.
Neu quis miretur, quod fuſca frōte nigreſcā
E' Sole extincto decolor ipſa fui.
Quę Solē inſolitę quōdā obduxere tenebrę,
Illę oculis formam tunc rapuere meis?

ORA-

ORATIO XVII.

DE RESVRRECTIONE

Chriſti ad Beatam Virginem.

PLoratum ſatis, ò Virgo eſt: vt decur-
Ma. rentes ex oculis tuis lachrymas Sol
16. exiccet, oritur valdè manè: vt è nocte
*Ec.*3 mœroris te Dominus tandem eripiat,
nouam hanc efficit lætitiæ diem. Lætandi iam tempus habes: quem tot querelis extinctum à ſepulchro petieras, ſuſpicis
pſ. rediuiuum. Illa præ filijs hominum ſpe-
44. cioſa, tibi reſtituitur facies: illa dilecti
*Ca.*2 tam dulcis auribus tuis reſonat vox. Nō amplius è Nati vulneribus defluit cruor, immenſus emicat nitor. Corpus, quod ligno potuit cruciari, factum eſt impaſſibile; quod neci potuit tradi, factum eſt immortale. O quàm verè, quod ſanctum
pſ. eſt, corruptioni non eſt obnoxium. Re-
15. ſurrectionis gloria pœnarum, tormentorum, funeris obliterauit iniuriam. Neſcia extingui charitas reſurrexit, tor-
Iud. menta, irriſiones, opprobria remanſerūt
10. in tumulo. Ergo ſiſte fletus, depone viduitatis amictum, indue veſtimenta læ-
pſ. titiæ? Lætatur Virgo, Mortales. In vir-
20. tute tua, Domine, Virgo vehementer

exultat. Tribuiſti ei quicquid maternũ popoſcerat cor, cùm coram glorioſus appares: conceſſiſti ei quicquid materna comprehenderat mens, cùm tui illam triumphi communione dignaris. Procul fugiat gemitus, procul abeat dolor. Videte illam ſuperna iucũditate repletam! *Eſ.* *35.*
Vbi luctus paulò antè pallebat, lætus in ſupercilio nunc reſidet decor: vbi timor nudiuſtertius oſſa frangebat, virgineos artus æterna nunc firmat hilaritas, quæ iam nullum præſcribebat exitum pœnis, nullum exultationi nunc ſtatuit modum. Sic cœlum nubila repetè vertit in ſudũ. Vnde fulmina decidebant, ſerenitatis erumpit arcus: vnde procellarũ turbines æſtuabant, placidiſſima ſpirat aura quietis. Videte illam dulciſſimo Nati Numinis recreatam alloquio. Cùm humanus aberat longè, diuinus conſolator eſt propè. Cùm terrena deficiebant, cæleſtia non deſiderantur auxilia. Calamitatum numerus, quantum licet, excreſcat, quibus corda lætificentur, conſolationes è cœlo non deſunt. O quantum diſtat ab illa, quæ mox lacera comis, lachrymoſa oculis, exterrita vultu languebat ad crucem. Tunc oblìuione gaudia demergebat, modò ſenſus congerit ad delicias. tunc ad ſolicitudines viſcera concitabat, modò ad felicitatem compellat affectus. Tunc velo ſuffuſa triſtitiæ nigreſcebat, modò ſanctorum ſplendore decorata renidet *Thr.* *1.* *pſ. 93*

nidet

nidet. Miramini illam radios fauſtitatis
vndique diffundentem: audite illam ſua-
Io. rum laudum monumenta feliciter decā-
12. tantem. Benè eſt, inquit, beatè eſt: in
*Ca.*2 terram cecidit ſemen meum, & mortuū
eſt; ſed meis lachrymis irrigatum ſurre-
pſ. xit in florem, & ſegetem produxit innu-
27. meram. Refloruit caro mea, ſi Iudeorū
4Eſ. furore ſuccisa fuit,& immortalitatis fru-
17. ctum maioris ſæculi germinauit. Quis
*Ca.*4 neſcit ad Auſtrum meorum ſuſpiriorum
*Exo.*ex illo tot aromata defluxiſſe ſalutis. Vi-
14. cit meus Moyſes in mari ſanguinis ſui,
*Ca.*8 & in fluctibus fletus mei tartareum Pha-
raonem. Pugnauit ille, ſed ſuper mei
corporis murum propugnacula ſtruxit
Oſe. argentea. Inferni portas ille contriuit,
13. ſed mille clypeos, & omnia fortitudinis
*Ca.*4 arma è meo collo deſumpſit. Ah ego nō
*Ca.*5 dormiebam,quando cor meum vigilabat
*pſ.*21in horto! quando canibus obſidebatur,
*Ca.*6 velut caſtrorum acies ordinata progre-
pro. diebar. Quando pellebat tenebras, ade-
8. ram, quando ſedes iniquitatis euertebat
pſ. abyſſos, aſtabam à dextris. Siuè ad mon-
44. tem myrrhæ, ſiuè ad collem thuris, ſem-
*Ca.*4 per ſecuta ſum illum: ſiuè inter pœnas,
ſiuè inter palmas, cuncta duxi cum illo.
pro. Luſimus ſimul in orbe terrarum, & à no-
8. ſtro ludo cæpit triſtari Pluto, deuinci
mors. Mors illa nuper tam horrida, tam
crudelis, iam non habet aculeum, dedi-
*Ca.*4dicit feritatem, oblita eſt feritatis. Lan-
guen-

guenti, quæ magnis febribus laborabat,
tu reddidiſti ſalutem. Quatriduanum, qui *Io.*
in tenebris ſepulchri iacuerat, ad vitæ 11.
lumina reuocaſti. Captiuitatis iugo ſolu-
tum eſt genus humanum: à manibus im- *pſ.* 2.
piorum vindicata eſt hæreditas gentium: *Hi.*
à ploratu iam ſileat vox, à lachrymis o- 31.
culi ceſſent. Spes in nouiſſimis fuit. Su-
mite pſalmum omnes, pſalterium exur- *pſ.*
rexit. Buccinate in neomenia tuba, recu- 80.
peratæ libertatis iſta ſolemnitas eſt. Tã- *pſ.*
tæ victoriæ plaudunt alatæ mentes, tanti 107.
triumphi lætitiam hominum corda non
capiunt. Obſtupeſcit tellus, & contremit *pſ.* 75
ſed quis crederet? in tremula mobilita-
te quietem reperit. Quã potuerunt Chri-
ſto patiente congemere, eodem trium-
phante tàm geſtiunt elementa. Spectan-
dum eſt cœlum, quantò tunc temporis
tenebroſius, nunc tantò ſerenius. Cœli *Iob.*
lyra illa, quæ tunc conuerſa diſſonabat 30.
in luctum, ò quali exultationis ſono nũc
conſonat. Spectandum eſt mare, quod
vndis prius horreſcebat attonitis, flucti- *Eſa.*
bus modò gloriatur amœnis. Naues il- 23.
læ, quæ pelagi fragoribus vlulabant, dũ
domus vaſtata diruerat, eædem dum tri- *Mat*
duò reædificatum eſt Templum, exhila- 27.
rantur. Gaudet ignis, qui ſtridoribus an-
tè querulis perſtrepebat: tum fortè cla-
uos, quibus deſerti ſpecioſa vorauit, tæ- *Ioe.* 1
debat: nunc gloriam immortalitatis exa-
minaſſe, quantum flammarum applauſu *Pſ.*
L con-

16. congratulatur. O gaudia ærumnarum e-
xitio nata, & nullis terminanda tempo-
ribus! O felicitatem è miſeriarum allu-
uione productam, & cœli fœdere ſtabi-
Ge.9 litam incommutabili! Suſcitans, ò Deus,
Hab. arcum tuum ſuſcitaſti, & fauores, quos
3. iuramento ſpoponderas, animo repetiſti.
Reuerſa eſt in terras iuſtitia, receſſit i-
niquitas: rediјt charitas, abiјt ſentina
ſcelerum auaritia. Terrarum orbem trã-
quilla perambulat pax, furor ſeditionũ
Io. amator euaſit, exceſſit, euanuit. Meritò
11. quidem reſurrectio, & vita vocaris, ſi
ferreo in ſæculo auratos innocentię mo-
res reſurgere iubes, ſi in occiduo vitæ
noui ſcis inchoare Orientis initia. Aſpi-
cio Solem ſui imperij dilataſſe confinia,
dum apparet in ortu celerior. Hinc no-
ctem ſua iura arbitror perdidiſſe, cùm
tenebræ Sole tam matutino fugãtur. Cer-
Pro. no iucundiorem præparari à clementia
20. vitam, dum regalem clementia roborat
Mat thronum. Hinc ſæuitiam defeciſſe reor,
27. & ſaxa ſæuitiæ monumenta confracta
Ca.2 ſunt. Animaduerto ſuis hyemem tranſiјs-
ſe procellis, dum terra noſtra germinat
flores. Hinc puto tempus illud aduenis-
ſe putationis, dum in gaudium noſtra
Io. triſtitia verſa eſt. Dicerem nunc æuo fe-
16 liciori repueraſcere Mundum, niſi illũ
redderet gratiarũ vbertas adultum. Vix
poteſt exprimi, quo ſecundo ſydera cur-
ſu permeent: quam indulgentiam pręſto-
lamur

lamur è cœlo? Quid voluptat is extat in cordibus? quæ facilitas adeſt in rebus? Cui humani generis negotia reſtituta ſunt dignitati? Quod ſpecimen maieſtatis natura iam lapſa recuperauit? Sed quorſum hęc memoro? Quorſum hęc memorando diminuo? Quę tot beneficiorũ multitudinem, tot honorum immortaliũ magnitudinem oratione cōplecti poſſit, eloquentia nulla eſt. A te fluentem, Inclyta Virgo, tantorum ſolatiorum fontē accipimus: à te primæui temporis reſtituimur ad delicias. Tu facis, vt emanet *Pſ.*
recens è petra mel, vt ex arida virga ru- 80.
bicundus exurgat flos, vt in medio hye- *Eſ.*
mis enaſcatur odoriferum ver. Niſi tu 11.
cecinifles in cauerna maceriæ, ſponſum *Ca.2*
ad noſtra vota reuerſum non vidiſſemus. *Ca.3*
Niſi tu per noctes in lectulo queribun- *Ec.*
da ſuſpirijs non exclamaſſes, nobis lux 24.
iſta Solis indeficiens non refulſiſſet. Iam ex ore tuo prodijſſe dicemus Altiſſimũ. Super aquas tuarum lachrymarum Spiritum Domini enauigaſſe fatebimur. Læta- *Ge.1*
re modò, & exulta, & in Dilecti triumpho tuam gloriã meditare? Inter triumphales Dilecti palmas beatiſſimi tui vē- *Lu.*
tris plauſus agnoſce? In ſeptemplici luce 11.
Solis iuſtitiæ, tuę Lunę admirare ſplen- *Eſa.*
dorem? Nos in multitudine gloriæ tuæ 30.
vincula ſeruitutis noſtræ rumpemus, in *Pſ.*
tuorum plauſuum ſono ſpei noſtrę audie- 35.
mus oblectamenta, in lumine tuo videbi-

mus lumen.

De Reſurrectione Domini à ſepulchro.

Beata Virgo, cùm Deum peperit, gauiſa eſt: cùm Deus reſurrexit, terra tremuit.

Virgo Deũ peperit, vultuq; hilarata refulſit,
Lapſurus Mundus, ni peperiſſet, erat,
Hũc quoq; terra parit, gemituq; agitata fatiſcit,
Depoſitũ tãtũ reddere fortè dolet.
Vltrò prębet opes, vno hòc contẽta, fatetur
Theſaurum gremio non habuiſſe parem.
Quo terram Virgo diſcrimine pręſtitit? illa,
Quem nunc iſta negat reddere, lęta dedit.

Ad illa Verba: Regina Cœli lætare, &c
Ad Beatam Virginem.

Parce dolore Parens, et nubila pectore pone:
Quẽ gremio tuleras, en rediuiuus adeſt.
Corpus tormẽtis, quod palluit ãte, coruſcat:
Clauus vbi fuerat, fulgurat inde iubar.
Exulta, et mentẽ cõpone ad gaudia: luctu
Qui modò preſſus erat, ſurgat in ore decor.
E tumulo victor properat iã Chriſtus ad auras,
Et captiua ſuos mors iacet ãte pedes.
Horrida, quę cũctos impunè peremerat, ipſã
Dum perimit vitam, cogitur ipſa mori.

ORATIO XVIII.

DE BEATA VIRGINE

In diem Pentecoſtes.

QVæ potuit impellere Deum, vt in ſtabulum deſcenderet inſtar roris, *Eſa.* 45.
eadem hodie adhibet illi vim, vt in cœnaculum delabatur in flammam. Quæ po- *Act.*
tuit cœlos diſrumpere, vt noua crearetur *Ap.* 2
tur terra, & priores obliuioni traderentur *Eſa.*
tur anguſtiæ, eadem hodie ſyderum fo- 64.
res reſerat, vt nouus erumpat ignis, & *Eſ.*
Orbis terrarum munere repleatur ſeptẽ- 65.
plici. O ſingularem Virginis charitatẽ! *Sap.*
O beneficentiam Virginis ſempiternam? 1.
Ite vos, qui cætera Virginis geſta immortali laudum præconio cumulaſtis, & grandiores hac pro ratione apparate coronas. Libeat illam gratiarum cæleſtium *Ec.*
appellare aquæductum, ſi totum ad illius 24.
voluntatem, & nutum accommodatum *Ca.* 1
eſt cœlum: libeat illam Superum nuncu- *Pſ.*
pare magnetem, ſi modò tractum illius 18.
odore Verbum currit, vt Gygas: modò *Pſ.*
illius amore langueſcens ſuper alas ven- 103.
torum Domini Spiritus ambulat. Cernebat Deipara Apoſtolos Domini ſuſpira-

re præſentiam: ſentiebat Diſcipulos cõ-
queri Præceptoris abſentiam: ſciebat
moram eſſe in amore difficilem. Inhia-
bant illi promiſſis: anhelabant illi ad ſpẽ
expectatam. Amantium amplius retine-
re vota non poterat. Audiebat voces il-
las ſæpius ab ipſis ingeminari. Quò abijt
Ca.5 Dilectus tuus, ò pulcherrima Mulierum?
Ca.1 quò declinauit Dilectus tuus? Vnigenæ
Ca.2 tui Numinis oſcula non efflagitas? tui
Act. Dilecti non quæris amplexus? Dies cõ-
apo2 plentur, & cordium noſtrorum optata
complementum non habent. Nutamus,
Eſa. dum lapidi angulari non nitimur. Alge-
28. mus, dum diſtamus à Sole Iuſtitiæ. Ocu-
Mal. los habemus, & non videmus: geſtamus
4. aures, & non audimus: ora pandimus, &
Mar non loquimur: pedes mouemus, & gradũ
8. non promouemus. O quantum ſpe dilata
Pro. diuexamur, affligimur! Vbi noſter eſt
13. conſolator? fatemur expectationem gẽ-
Th.1 mam non eſſe gratiſſimam, ſi præſtolan-
Pro. tibus nobis duriſſimum affert pondus.
17. Voca tu illum, cuius aſtas à dextris? ac-
Pſ44 celera tu illum, qui tuæ formæ factus a-
Sa.8 mator eſt? aſſequatur tandem expectatio
Pro. noſtra lætitiam. E tuorum oculorum
10. motu Spiritum veritatis è cœlo intuebi-
Io.5 mur deſcẽdentẽ: Te adiutrice ſperamus à
Verbo linguas, à lapide flammas. At tu
delabere iam è cælo ſanctiſſimis flammis
Ge.8 accenſa Columba? Habes Virginem, vbi
pes tuus requieſcet in terris. His com-

mo-

mota vocibus Virgo preces effudit ad *Pſ 17*
cœlum, & ecce Deus maieſtatis intonu-
it: Altiſſimus dedit vocem ſuam, & fa- *Act.*
ctus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquam *ap. 2*
aduenientis Spiritus vehementis. Hære-
bat diuinus Amor, niſi Virginis deſide-
rio prouocaretur ad iter. Dicerem illū,
vt Sponſam alloqueretur, veniſſe in ardē-
tem linguam, vt Nauicularios erudiret,
in ventum: ſed ſingulorum ille capitibus
inſidet, & auguſtas Apoſtolorum fron-
tes innocenti coronat incendio. Dicerem *Act.*
triumphalem illam nubem, qua glorio- *apo 1.*
ſiſſimus Soter obuolutus ad ſupernam
perrexit aulam, in rorem lucis diſſolu-
tam eſſe, ſed ignis ille acuminatas con-
uerſus in linguas, cupidus oſculandi, do-
num amoris eſt. O quantum mutatus ab
illo eſt, qui terribilis quondam appare- *Ex.*
bat in Sinai: non illic aderat Sponſa. Ve- *19.*
nerat illuc, vt legislator: huc, vt amator.
Illic fulgura perſtrepebant: hic linguæ
igneæ dulciſſimo vento verba modulan-
tur amoris. Illic nubila circum ſparſa
Numinis arcana ſcrutari vetabant: hic
oracula Vatum abditis obuelata myſte-
rijs, multiplici linguarum eloquio reue-
lantur. Iam, quæ ſub nube latebant, ignis
beneficio palam fiunt. Percipitis vos, in-
clyti Patres, harum linguarum orationē,
tantæ lucis immenſitatem, tanti fragoris
euentum. Quibus vos filij adoptionis re- *Pau.*
nunciamini, hæc ſunt ſolemnia: quibus *ad*

Ro.8. cœlo vos conſortes imperij aſciſcimini,
Cã.2 hi ſunt plauſus. Intelligitis abijſſe iam
tempeſtates illas tartareas, procul receſ-
ſiſſe terrores æternæ mortis, ſucceſſiſſe
hyemi vernam temperiem, & poſt pro-
cellas, ac turbines ſpiritum tranquillam
Bar3 afflaſſe ſerenitatem. Agnoſcitis iam cla-
Sap1 riſſimas virtutum ſemitas, quæ hucuſque
nemini patuerunt. Quibus radijs ſapien-
tiæ ſuccenſa ſunt veſtra pectora? Vobis
reuelata eſt ſapientię radix. Quæ noua
vis acuit veſtras mentes? vos altitudinē
Pro. cœli, latitudinem terræ, & profundum
24. abyſſi metimini. Quæ ſalus emanat è ve-
Gen. ſtris conſilijs? Cuius habetis ſcientiam
3. boni? quò indeficientis pietatis ardore
Ec.1 flagratis? quo Domini timore gaudetis?
quam exhibetis in periculis fortitudinē?
Iam tormenta poſthac ærumnoſa non e-
runt, ſi Amor tormenta ſufficiet. Aderit
in exilijs, in ærumnis inuidia, ſi erunt
amoris prœmia. Placet fragor, ſi dulcis-
ſimo pacis ſono oblectamini: placet in-
Pſ. cendium, ſi veritatis teſtimonio recre-
80. amini. Exultate feliciſſimi Proceres,
Act.2 buccinate in neomenia tuba, pertractate
carminibus magnalia Dei. O quàm be-
Pſ. nè Muſicam docet Amor. Hactenus ſe-
125 uiſtis in lachrymis, & in exultatione
iam meſſuiſtis: ſupererat ſerere in flam-
Ha. mis, & metere in triumpho. Ibitis in lu-
3. ce ſagittarum Domini, & in ſplendore
Pſ. fulgurantis haſtæ ſuæ deiectum propu-
gna-

gnacula vitiorum. Ibitis de virtute in Ps.
virtutem, & quò nondum perſuaſit pietas, 83.
videbitur Deus. Veſtri imperij fines
Rhenus, & Euphrates non intercludent.
Sonus veſter exibit in omnem terram, & Pſ.
parum quoque putabitis cum Sole manus 18.
extendere, ſi citra Solis vias coram om- Mat
nibus lux veſtra lucebit. Quæ diſpenſa- 5.
bitis per Orbem miracula? video vos vi-
tæ mortalis oblitos ſydera peragrare, è
viuis remouere languores, extinctis vi-
tam reddere. Quid efficiet veſtrũ iubar, Act.
cùm vel vmbra ipſa expellet invaletu apo5
dines? Cerno vos elementa reuocare ſub Pſ.8
legibus, belluas ineluctabili poteſtate
frænare, animantia ſub pedibus vniuer-
ſa ſubijcere. Ecquinam erunt tam cœci,
qui in veſtris vultibus ſigna Principum
non aduertant? Vtrumque mare occupa- Pſ.
bitis dominatu, & auram populi aucupa- 71.
ri non conabimini. Auram aſpernantur
popularem, qui afflati diuina ſunt: qui æ-
terni Numinis flamma coronant caput, Ec.
famæ fumum circum tempora nõ admit- 25.
tunt. Beatos vos, quibus cum Muliere Ec.
ſenſata contigit habitare: cuius ſpecies 36.
eſt hilaritas vniuerſi: cuius emiſſiones, Ca.4
ſunt bonorum omnium Paradiſus. Inue-
niſtis gratiam, vbi tantam aſpexiſtis for-
moſitatem: comparaſtis gloriã, vbi tan-
tam coluiſtis beatitatem. Quæ non fluit
illa præſente voluptas? illa abſente, quæ
non furit acerbitas? Illa præſente, iucũ-
ditas-

diſſima beatæ vitæ lux eſt : illa abſente
labor, angor, mœror, calamitas, cruci-
atus. Illi verè tradita ſunt duraturæ ma-
ieſtatis ancilia: illi ſeruanda perpetuò
cœleſtis flamma conceſſa eſt. O noſtræ
ſalutis initium, Virgo, ò noſtræ felici-
tatis nobile incrementum? Actum eſſet
de re mortalium, ſi è tabernaculis Iacob
Nu. tu nitidiſſima ſtella non effulſiſſes. Ad-
24. huc ambularet in tenebris mortale ge-
Pſ. nus. Viueret, ſed ſine calore, ac ſpiritu
81. veritatis: aura veſceretur ætherea, ſed
Deu. ſemper intractabile, ſemper aſperū, abſq;
12. conſilio, ſine prudentia. Cœlum intue-
Eſ. retur, ſed è cœlo non deflueret ros: ope-
45. raretur terram, sed maledicta ſpinas, &
Gen. tribulos germinaret. Ad tui conceptum
3. vidimus àpparuiſſe flores in terra noſtra,
Ca. 2 defeciſſe pernicies, & anguem illum in-
ter herbas latentem capite contritum in-
terijſſe. Ad tui natalis lucem fugatas
noctium vmbras perſpeximus, formido-
Ioel. loſum mortis horrorē euanuiſſe, & ter-
3. ras exultaſſe cœlo conciliatas! Te adole-
ſcente hauſimus diſtillantem ē montibus
dulcedinem, expetitum tandiù accepi-
mus Solem, pacis æternæ ſtatuta ſunt fę-
Ge. 9 dera. Hoc vnum deerat è ſuperis euoca-
re flammas amoris, & æuo matura iam
paras. Nouiſſima dona ſunt flammæ, vt
flammis imbutos deceat torpeſcens de-
ponere ſenium, & primigeniæ virtutis
Ge. 2 pulchritudine iuueneſcere. Credo equi-

dem

dem ſpiraculum vitæ, quod olim homi-
nem informauit: factum modò ſpiraculũ
amoris hominem renouare. Ecce, qui
paulò antè priuatis ædibus ſedebant in-
cluſi, ad longinquas regiones aſpirant:
qui gelidi, & demiſſi iacebant, facti ſunt
ad Dei miniſterium ignes vrentes. Illos *Pſ.*
cœnaculi conclaue non capit. Illis ob 103.
cogitationum immenſitatem pectus vnũ,
mens vna non ſufficit. Vniuerſorum mor-
talium animas ſalutis incendio, vino cõ- *Pſ.*
punctionis, inflammare, inebriare conſti- 59.
tuunt. Totum terrarum Orbem pietate
maxima, oſtentatione nulla à vitijs vin-
dicare proponunt. Flagrant, æſtuant, im-
petu diuini Amoris feruntur, exagitan-
tur. Præſentiſſimus enim calor eſt Deus.
Quis ab eius abſcondetur ardore? Quis, *pſ.*
vbi gloriam Dei flammeis linguis enar- 18.
rant cœli, bonum verbum nõ eructabit?
Quis, vbi tremefactæ domus parietes *pſa.*
perſonant, ad plauſus non excitabitur? 44.
Miſerum me! inter tot motus ſolus tor-
peſco! inter tot igneas linguas è cęlo
delapſas, ipſe duntaxat frigidus ob-
muteſco. Ipſe tantum fateri compellor
imperitiam meam, vbi magiſter eſt Spi- *De.*
ritus ſapientiæ. Quis è vinculis me ſol- 34.
uat inertiæ? Quis me ſalutaribus repleat *pſa.*
flatibus? Quis me de laqueis neceſſitatũ 106.
eripiat? Sola tu potes, ò Virgo, voti me *Ca.* 4
compotem facere. Ab vno oculorũ tuo-
rum ſaucius pendet Amor: vno colli tui
cri-

crine ſe conijcit alligatum: è tuis tantummodò labijs ebibit fauum. In tuis oculis, in tuo crine, tuiſque labijs acquieſco: te vnam intueor: ad te vnam omnis
Sa. 1 mea dirigitur ſpes. Noli committere, qui complet omnia, meam non impleat
Gé. 1 mentẽ: qui ferri voluit ſuper aquas, per pectoris mei glaciem dedignetur elabi.

AD BEATAM VIRGINEM
In diem Penteconſtes.

Qui rutilat tectis, & Patrũ tempora cingit
Ignis, an ex oculis proſilit ille tuis?
Illa procelloſo quę perſtrepit aura fragore,
Nõne eſt, quę gemitu fũdis ab ore, ſonus?
Quę iactas oculis, haurimus ſpicula amoris?
Auris perfruimur, quas tua labra ferũt.
O benè collatã Superũ cum Numine! dona
Æthere lapſa, tui muneris inſtar erant!

DE BEATA VIRGINE
In aduentu Sancti Spiritus.

Vertitur in linguas, quẽ vidimus ãte Colũbã:
Murmurat et rapidus, qui modò lenis erat
Siccine flãmiuomò Spõſã terrere tumultu
Optet, & in Spõſam fũdere iura queat!
Nil moliris amor, charites quĩ numine prodas
Horrifico, aut placido Numine ſẽper amor.
Vt ſpõſę occurras, ventorum duceris alis:
Nõ patitur ſegnes, qui calet igne, moras.

Vt Spõſã allicias, plures libet addere linguas,
Vna, vbi flagrat amor, lingua ſat eſſe ne-
(quit.

ORATIO XIX.

DE BEATA VIRGINE

In Cœlum Aſſumpta.

VIdimus Domino moriente tenebras noctis erumpere, & depopulari meridiem, terram nutare, quaſi piaculorum ſuperaddito pondere ſuſtineri non poſſe, & montes affectare diſſiliendo ruinam, ſi tantũ ſcelus præferebat excelſitas. Quid nunc ſpectabimus oculos claudente Deipara? Poſt Solis occaſum iſta remanſerat ſtella, quæ noſtris cordibus vitæ radios infundebat. Ad huius lucis aſpectũ hominum dirigebantur itinera. Quibus aderat intuitus Virginis, non deficiebat optata dies. Viximus vitam illa viuente tranquillam. Miſeros nos! quibus Mundi calamitatibus reſeruamur? Qui nos repentinus terrarum hiatus excipiet? Vna poterit ſupereſſe mortalibus ſpes. Forſan extincta Virgo non eſt. Quonam pacto pęnam debuerit illa ſubire, quæ culpæ non fuit obnoxia? quò demolitionis

ſignum labes originaria non impreſſit, tyrannidem exercere mors neſcit. Lætũ, Mortales, vobis affero nunciũ. Dormit Virgo, non obijt. Eadem Virgo, dum
*Ca.*5 iacet, effatur, ego dormio, & cor meum vigilat: ſupra cœli ſpatia volitat animus, cuius lumina terris hebeſcunt. Cedant ergo queſtus, & lachrymæ argumento
2*Pa.*lætitiæ, & triumphi. Ecce congregat
5. Deus, non Salomon, cœli thronos, & principatus, non ſeniores, & Principes Iſrael, qui Virginem arcam fœderis Domini ad cæleſte deferant Capitolium, nõ ad tabernaculum Sion. Aſpicitis vos obuios cælites triumphanti gloria cricunfuſos? auditis aerem reſonare cantibus Angelorum? Expergiſcere Virgo? Scala, quam ſomnus obtulit Iacob, cœlos aſcenſura non eges. Diuinus Amor, qui ſuis te duxit alis ad montana pergenté, ad ſuperandam Ætheris viam, currum
4*Re.*tibi præbet ignitum. Inhians tuos am-
2. plexus te Sponſus opperitur æternus: flagrans tua lumina venerari, te pollice proprio tergentem ex oculis ſomnum
Ca.3 ſupernarum mentium præſtolatur exercitus. Donec ipſa velis, ſomnij tui pax non rumpetur. O quali euigilans recreatur aſpectu Sponſi! Laqueos, quos ipſa tetenderat, plagas, quas ipſa inflixerat, agnoſcit in Sponſo. Intuetur faciem, cui tot oſcula in præſepi libauit: aſpicit labra, quæ toties ſuis ab vberibus pendere

re gauiſa eſt. O quali dulcedine rapitur, dum ſecum loquentē miratur dilectum! ad voces dilecti liquefit anima Sponſæ. *Ca.*5
Habent ſuas amoris verba ſagittas. Surge, inquit, amica mea, cœlorum regia *Ca.*2
te manet. Hyems mortalitatis iam tranſijt, imber abijt lachrymarum: tuorum floribus meritorum corona contexta eſt.
Poſt exantlatas terræ procellas non iu- *Ge.*1
gis Armeniæ, cœli montibus requieſces. *Eſ.*
Maieſtatis meæ glorificanda eſt domus. 60.
Virtutum, quibus ipsa fulſiſti, diademate coronaberis: cœli, quos tuorum ope- *Pro.*
rum ad ſpectacula conuocaſti, tibi pręparant gloriam. Veni nunc expectata, & *Ec.*
gyrum cœli, quem circuiſti iam ſola, in- 24.
ter Diuum plauſus ſequaci triumpho re- *Ca.*4
petere iuuet. I felix mulierum pulcherrima, quò tuus te Sponſus inuitat, quò tua te virtus, & humilitas aditum indicant, & recludunt. Humiliter inceſſiſti, ſed quò terris humilior, cœlo ſublimior emicaſti. Reſpuiſti pompas, vt videreris abiecta, ſed ornamentis enituiſti diuinis, dum Solem ſtellarum omnium nitidiſſimum continebas in vlnis. Credidiſti Angelorum oraculis, cum ſancti Flaminis flagrabas incendio: paruiſti legibus, cùm legibus ſoluta fueras. Sic placuit ad principatum obſequio peruenire.
Sic tantas obedientia placuit numerare *Pro.*
victorias. Nunc titulo cæleſtis Impera- 21.
tricis nomen ancillare commuta, cri- *Apo.*

12. neſque ſine lege demiſſos, edoce coro-
Pſ. nas iactare ſtellarum. Iam Regina es, To-
44. nantis aſtans à dextris. Iam filia Princi-
*Ga.*7 pis es, cœlum aſcendens greſſu tam pul-
chro. Perfeciſti labores, quos aggredi,
& pertractare ſolum fortibus eſt conceſ-
ſum. Quicquid lethiferi Parens omniũ
Eua in Mundum euomuit, expuliſti ſua-
uitatis odore. Hoſtium, quos illa blan-
ditijs proſecuta eſt, tu cornua confregi-
ſti. Viciſti rebelles, & tanta felicitate,
vt prius hoſtiles apparatus euerteris, quã
manum conuertiſſes ad arma: prius vi-
ctrix, quàm belligera: prius triumpha-
trix, quàm nata. Soli omnium contigit
Ecc. tibi, in omni gente primatum obtinuiſ-
24. ſes antequam eſſes: altà Numinis mente
*Ca.*4 manebas repoſita, cùm adhuc Numen
Pro. tuæ pulchritudinis igne nôn æſtuauerat.
8. Imperium habebas in aquas, cùm nondũ
fontes aquarum eruperant. Neſcimus,
Mortales, quid potius initium vitæ Vir-
1 *Co.* ginis miremur, an finem? Multum eſſet,
9. quod brauium comprehenſura currens,
Pro. vt gygas, non ceciderit, ſed cùm mater-
8. no emerſa eſt ex vtero, non extabant A-
*Pſ.*18 byſſi. Multum eſſet, quod in Sole con-
*Pro.*8 ſecuta ſit tabernaculum, ſed ſuas glorias,
antequam terra fieret, oſtẽtabat antiqui-
tas. In incerto ſumus: ſi primordia viarũ
ſuarum meditari velimus: ab initio in
bonis Domini fuit. Si poſtquam omnes
*Ca.*8 humani deſerti exantlaris anguſtias, ani-
mad-

maduertere libeat, illam in delicijs aſ-*Sa16*
fluxiſſe ſuſpeximus. Quis illam in bene-
dictionibus Solem prę ueniſſe non cre-
dat, ſi pręcucurrit ætatem. Flores in ter-*Ca.2*
ra non apparebant, & fulciri floribus cu *Ca.3*
piebat. Non adhuc quem diligebat, inue-*Ca.1*
nerat, & vnguentorum trahebatur odore. *Ca.2*
Sub vmbra illius, quem deſiderauerat,
non ſedebat, & Regis cellaria penetraſ- *Eze.*
ſe gloriabatur. O quàm benè eius hume- *16.*
ris ſedet imperium! ò quàm benè rutilat
eius capiti corona decoris! Excipite ſy-
derei ciues Reginam hanc, & vobis no-
ua gaudia gratulamini. Componite pom-
pas huic victrici triumphales, & ſuper
auras obeliſcos immortalitatis attollite.
Veſtrum eſt ingeminare plauſus, & can-
tibus tot ductas celebrare victorias. Pa-
rate viam lacteam gradienti: ſatis ſit in
terris ſemitas calcaſſe dolorum. Excipi-
te Solem, cui formam non maculauit E-
clypſis; Agrum, qui ſpinarum non ſenſit
iniuriam; Turrim, quam Nymbus non
perrupit aheneus. Videtis Cælites bona,
quæ in ſtellatas ædes ſecum fert triũpha-
trix Auguſta. Species meliores, quæ in-
trinſecus latuere, nunc patent. Animi*Ca.4*
dotes, quas illa ſemper in orbe terrarum
modeſtiæ tegumento cælauit, ad ſacro-
ſanctæ Trinitatis intuitum coruſcant in
medium. Quale iubar emittit puritas il-
la, cuius inſtar obſcuræ ſunt niues. Quot
faces charitatis effundit illa clementia,

ad cuius ardores humanitatem vel lapi-
des induunt. Super veritatis baſi conſti-
tuta ſpectatur integritas. Splendet ſuper
æquitatis faſtigio pacem amplexata iu-
ſtitia. In campo fidei cernitur vireſcere
ſapientia, flaueſcere longanimitas. Ad-
uertitis illam, quæ Regum ſeries ante-
Act. cedat, quot faſcibus, quot tiaris, quot
8. purpuris nomen ouantis affulgeat. Ine-
narrabilis eſt eius nominis amplitudo,
Ec. cuius comes eſt claritas, cuius menſura
42. eſt æternitas. Quis ſatiabitur, tantam cũ
Ec. viderit gloriam? Aſpicere eſt illam re-
50. fulgentem quaſi arcũ inter nebulas glo-
Ec. riæ. Illam flori roſarum in diebus ver-
43. nis æquares, cùm odorum fragantia ra-
peris. Illam lilijs, quæ in aquæ tranſitu
candent, conferres, cum candoris admi-
ratione compelleris. Nunc in cœlis cen-
*Sa.*5 ſetur theſaurus, quicquid in terris puta-
batur inſania. Quicquid ſine honore ſor-
debat inter mortales, non in vltimis lau-
dum eſt inter cælites. O quale nobilita-
tis decus portendit pauperies, quæ cun-
ctis deludebatur inuiſa! quod affert or-
namenti manſuetudo, quæ penes nos vi-
leſcebat exoſa! quod vibrat verecundia
radios, quæ tenebris offundebatur in
Mundo! Meminimus, & obliuiſci non
poſſumus, quibus illa inſtitutis imbuta
ſuperos accenſura ſub cœlo ſtetit. Regi-
Ec. um exiſtimabat regales habere mores, &
24. faſtus regiæ conculcare: in altiſſimis ha-

bita-

bitare, & plenitudine gratiarum non intumeſcere: mentis magnitudine decorari, & affectus non admittere immoderatos. Tu ſcis, Gabriel, fidiſſimus diuinæ mentis interpres, cùm huic Virgini ſalutis detuliſti decretum, quo pectoris illa calore vixerit ordinato. Hoſpita mox futura Tonantis conſiſtere in anguſti domicilij tectis non reſpuebat: fœcundatura virginitatem Numine, cupiditatibus non æſtuabat: conceptura viſceribus Verbum, non excludebat à corde ſilentium: collocatura in gremio ſapientiam, ſe fateri non erubeſcebat ignaram. Non poteras illi ſuam ipſius explicare excellentiam, quin illa ſuæ ſenſus humilitatis exprimeret. Vocabas illam gratia plenam, & veræ laudis præconio, fortè perterrita, turbabatur. Renunciabas illam Solis æterni parentem, & illa dubiorum tenebris obſita caligabat. Appellabas illam ad regnum, & illa titulum ſuſpirabat ancillæ. Primum illam prouehebas in locum, & illa in poſtremo reſiſtere optabat. Nihil à cæteris, niſi humilitate, differre volebat, quando omnibus gratioſior laudabatur. Honores in terris duxit caducos, immortales tantummodò in cælis: breuem vitæ putauit curſũ, ſed gloriæ ſempiternum. O indolem non ab aſtris effuſam, ab ore Altiſſimi demandatam! ò mores non è Triſmegiſti cratere, ſed è ſapientiæ fonte ebibitos! E cœlo

pro. 11.

Ec. 24.

Ec. 1.

prodijſti Virgo! Tale virtutum exemplar producere terra non valuit. Nunc te cælo reſtitue, & ſi terram peragrando cœlo capacior facta es, tui nebula patrocinij tegere terram omnem non obliuiſcere? O quoties te ſperamus in nos deſcenſuram in pluuiam auream. Eliquaberis lucidiſſima Nubes propè radios Solis iuſtitiæ. Per te de cœlo beneficia fluent in nos, per te munera, quietem, & dignitates liberalitas Numinis in homines prodiget. Quò iam in terras decurrant flumina gratiarum, aquæductus cœlo nō deeſt. Age nunc, Virgo, triumphum, & ſedes ingredere, quas reliqueras, vt terram locupletares. Hactenus lilium inter ſpinas, nunc inter ſtellas eſt inſpectãdũ. Hactenus cælum cœli Domino moderari, tantummodò contigit: nunc cæleſtis poteſtatis è filijs hominum conſortem agnoſcimus Virginem.

Ec. 24.
Nu. 10.
Ca. 2
Pſ. 113.

DE MORTE BEATAE VIRGINIS.

Vix potuit nitido moribunda iacere cubili,
Et tam ſperatam Virgo ſubire diem.
Cũ ſubitò infernis Plutõ propè venit ab horis,
Et temerè in tãtã mouerat arma nurum.
Illa ſed aduerſũ pellens cõmota Tyrannum,
Accenſa hæc forti pectore verba dedit.
Quid maturã eui, quid rurſũ ignaue laceſſis,
Si tua cum fregi cornua, parua fui?

In diem Aſſumptionis BEATAE VIRGINIS.

Aethera dũ luſtras, ſimilẽ te, Virgo, vocarẽ
Auroræ, ãt radijs te micat illa minorẽ.
Te Lunæ æquarẽ, dũ Numine ſydera frænas,
Sed iubar ẽ pedibus ſuſcipit illa tuis.
O Virgo nullis æquanda nitoribus, aluo
Si quem iam tuleras, luminis auctor erat.
Cùm fueras terris, terras fulgere docebas:
Cùm nunc es cœlis, aſtra micare doces.

DE BEATA VIRGINE Aſſumpta.

Felix alma Parens, æquis ornata coronis,
Siuè Deum excipiens, ſiuè recepta Deo,
Mox quo tu rutilas redimita, tenerrimus o-
Ille tuo didicit Sol rutilare ſinu. (lim
Quǽq; tibi decorãt fulgẽtia ſydera frontem,
Suerant illa tuos ante micare lares,
Et quæ ſerua pedes lambit tibi Luna, tuorũ
In terris operum conſcia teſtis erat.
Felix vſque Parens, ſed nunc felicior vnquã,
Quod potius linqui non vereare Deo.

ORATIO XX.

DE VARIIS LAVDIBVS BEATÆ VIRGINIS.

Sa.1 Ca.2 QVam vobis, Mortales, ante hac ambulantem in cordis ſimplicitate deſcripſi: cuius incompoſitum, inſtar Columbæ candorem oſtendi: quam per diuerſas Orbis terrarum ęrumnas eius virtuti ſemper vniformem edocui: illã etiam varietatibus modò circumamictã
Pſ. 44. accipite. Non eſt, vt cenſetis, omnis varietas vitioſa. Senſimus aliquando varie-
Ge.3 tatem fuiſſe mercedem Iacob: audiuimus
Act. pluries variarum ornamento linguarum cælitus oracula promanaſſe. Illa tantum culpabilis, quæ in vlnis inconſtantiæ genita, veritatis ignora ſemper, vel temeritati nititur, vel fortunę: quæ mentis erroribus enutrita ſcyllam charibdi cõmutat, & inimica conſilij, rationis, prudentięque iura præcipitat. Illi morum corruptela tribuitur, illa virtutum ſedes euertit, ab illa tot calamitatum deuenit origo: ab illa tot prouinciarum excidia proceſſerunt. Cœca eſt, & quò tendat, non aſpicit: vaga eſt, & quò perrexit,

non ſiſtitur. Nunc voluptatum illecebris tracta verſatur inter amores, nunc facibus furiarum accenſa inter hominum cędes inſanit. Cuilibet ſeipſa credit affectui, & diſcrimina non rimatur. Quodlibet aggreditur opus, & rerum nõ explorat euentum. Longè procul illa diſtat à noſtra Virgine, quæ quantumuis cuncta circumiuerit Mundi ſpatia, thronum ſuum firmauit in Sion: quantumuis in omnibus quæſiuerit requiem, honorificato radicauit in populo. Virtutum varietate circundatur noſtra Virgo. Serenat in fronte maieſtas, purpurat in facie pudor, enitet in manibus pietas, totam laciniam depingit honeſtas. Sed hæc foris ſũt Virginis ornamenta, latent intrinſecus meliora. Fides coruſcat in mente, viret in animo ſpes, flammeſcit in pectore charitas, religio cogitationum arcana ſanctificat. Vix materno incluſa eſt ergaſtulo, cùm caput anguis armata contriuit, & inſoliti, ignotique triumphi commendatricem adhibuit famam. Vix hauſerat vitæ primordia, cum conſilium repueraſcere, & eruditis intereſſe cogitationibus infantiam docuit. Vix adoleuit, cũ ſalutata eſt vniuerſi regnatrix, & humili eloquio, nominique ancillari pretium decreuit æternum. Vix æuo maturior, cũ terræ flores exoſa, cœli ſtellas aptauit ad comas. O quantis nos illectura gaudet aſpici modis! O in quantas nos adiutura

Ec. 24.

Ca. 4

Ge. 3

pro. 8

Lu. 1

Ap. 12.

ſe voluit imagines! Non amplius Proteum in varias prodeuntē figuras ſuperſtitioſa mortalitas demiretur. Non amplius iactet varium Mæandri curſum ſui oſtētatrix Antiquitas. Quæ finguntur de cæteris, de illa tantummodò vera ſunt. Diceres illam in gratiarum pluuiam
pſ.93 verſam, cum rependit meritis beneficia:
1par. aſſereres aſpexiſſe lætitiam, cum conſo-
18. lationibus lętificat animos: crederes in
Ge. terras appuliſſe ſalutem, cum conſtituit
32. monumenta prçſidij: fatereris Auroram
Ca.2 aduenisſe ſperatam, cum noctis tenebras
Ec. è Mundo depellit. Modò ſe commutat
39. in lilium, vt emittat caſtitatis odores:
Ca.8 modò ſe vertit in roſam, vt intuentium
Ca.5 oculos decore deuinciat: modò delicijs affluens ad æternæ vitæ gaudia mortales inuitat: modò terribilis, vt caſtrorum acies ordinata fidelem populum ab hoſtium incurſione defendat: ſemper in mutatione formam clementiæ, nunquam ſeueritatis aſſumit. Noua enim naturæ varietate, confuſoque virtutum temperamento collucet. Ad laudem victoriæ ſine lenitatis experimento non peruenit: ſine humilitatis ornatu principatus gloriam non attingit: ſine pudibundi ſilentij incremento gaudia fęcundæ virginitatis haud percipit: fidelitatem cum forma, modeſtiam cum pulchritudine, cum ſimplicitate ſapientiam copulat. O miſeros, qui tantum in vno quieſcitis? *In*

Mun-

Mundo, vbi cuncta viciſſitudinibus agitantur, habitator quietis non eſt. Qua vos in terris temporum firmitate torpetis, ocium eſt, & non quies. Ludebat in mũdo Deus, et vario ſuper aquas ferebatur inceſſu. In excelſi dextera ſępe mutatio eſt. Neſciunt ſtare diuina, & iugi agitatione ſe ſeruat æternitas. Decus amiſiſtis, & gloriam, fulgentiſſima ſydera, ſi ſpreta radiorum varietate, vno fruemini loco. Non argueretis imperium, ſi cęli non peragraretis apicem: beatitatis omina nõ ferretis, ſi multiplici ſtellarũ nõ gauderetis obtutu. Quid ſortimini turpitudinis, cũ ſine curſu, ſine lucis diuerſitate ſtatis, ſqualetis? In Virgine cernimus Iridem, quæ varios induta colores, ignito, amoris ſuſpiria ſuſcitat: pallenti, portendit miſericordiæ nymbos: cœruleo, tranquillitatem præſagit: viridanti, ſæcula feliciora promittit. Sed parce, ò Virgo, ſi te Iridi auſus ſum comparare: Iridi, quæ ſumit à nube corpus, & mutuatur à Sole colores. Soli conferre te volui, quæ varias Zodiaci vias excurrẽs, variatos producis effectus. Ingrederis Arietis ſignum, & ver æternum nunciare concentibus Angelos iubes: Tauri ſpatiaris in gradibus, & floribus ſtipata langueſcis amore: per metas Geminorum incedis, & pacis cogitationes in pectoribus excitando, præparas abundantiam Cancri moraris in ſigno, & ſegetes, quas riga-

Eſ. 38. *pro.* 8 *Ge.* 1. *pſ.* 7 *Lu.* 1 *Ca.* 2 *Hie.* 29. *pſ.* 71 *pſ.*

125. rigauerant lachrymę, in exultatione me-
Ca.8 tuntur. Leoni ſuccedis, & lampadibus i-
gnis, atque flammarum vniuerſum incē-
Io.2 dis. Curſum vertis ad Virginem, & lar-
giter, quo caremus, ab vberibus tuis vi-
Pſ. num effundis: collocas tabernaculum tu-
47. um in Libra, & iuſtitia, qua plena eſt
3Re. dextera tua, proſperis aduerſa metiris:
12. Scorpionum latebras luſtras, & Scorpio-
Ca.4 nibus territas nos, ſed non cædis: ſubis
Sagittarij propugnacula, & in vno ocu-
Eſ. lorum tuorum vulneras noſtra corda:
45. quieſcis in Capicorno, & dum cœlos
Th.1 ſtillare lac, & mel doces, expectatum
eniteris fructum: Vrnam tenes aquarum,
Io.2 cùm dolori tuo ſimilis dolor non eſt: E-
natas inter piſces, cùm tuum Ionam è
viſceribus terræ ſurgentem adoras. Tu
Lu. fructus multitudinis immenſus, qui gu-
24. ſtus ſeruat concupiſcentiæ multiformes:
4Eſ tu velum illud pulchra varietate cōtex-
6. tum, quo Deus optimus maximus tegi
Exo. non dedignatur. Hac in varietate rutilat
26. pulchritudo, hac è varietate defluit ad-
Pſ.91 miratio. O vanas Mundi blanditias, ſi
tali duntaxat pulchritudine delectare-
mur! O irritos abyſſi conatus, ſi tali tan-
tummodò admiratione teneremur! In-
terdicant Reipublicæ ſpes infortunia,
priuatorum res fata dilacerent, depluāt
libertatis obliuia, metuenda curarum
ſæuiant tempora. Habemus præſidium,
habemus decus. Non tot malorum ſemi-

na ſuſcitantur in Mundo, quot nomina
incolumitatis obſeruamus in Virgine. *s.*
Quoties cœli cataractæ panduntur, Vir- *Ma-*
go nobis in monte Charmeli præmõſtrat *ria de*
arcam. Quoties violenta minarum contra *mon-*
nos imminẽt fulmina, Virgo nobis affert *Car.*
è Laureto tutamen. Quoties vagamur e- *s. Ma*
xules, & ignoti, Virgo nos in terræ fini- *Lau.*
bus præſtolatur. Quoties ventorum im- *s.*
petu, fortunæque procellis iactamur, in *Ma.*
portu Virgo nos excipit. Quoties tenta- *de fi-*
tionũ fluminibus obſidemur, de põte Vir- *nibus*
go nos vocat. Quoties eſurimus, glandes *terræ*
aureas Virgo nobis demittit è Quercu. *s.*
Iam laboribus miſſionẽ dare fas eſt. Fui- *Ma.*
mus quondam, fuimus infelices, cùm ad- *for.*
huc nulla pateret ſalutis via, nullum *ſal.*
tranquillioris ætatis fulgeret ſydus; vn- *s.*
dique periculorum deterrerent amba- *Ma.*
ges, vbique mortalitatis flagrarent angu- *de*
ſtiæ. Vndequaque Cœlum lachrymarũ *ponte*
nubibus obſitum, ſerenitatis videbatur *s.*
penitus incapax: diũ noſtra tellus furijs *Ma.*
extimulata malorum, contremebat om- *de*
ninò firmitatis impatiens: ſed immacu- *quer.*
latæ Virginis formam, vt vidimus, vt pe-
rijmus, varius quietis recluſus eſt aditus,
plurimi fauſtitatis adeptæ colluxere ful-
gores. Actum eſt de calamitatum iniu-
ria, de regni faſtigio controuerſia nulla
eſt. O quàm ſæpe ipſam noſtris cladibus
obuiam occurrentem ſecum dixiſſe puta- *Pſal.*
mus. Multiformes in Mundi perniciem *144.*

Ec.8 erupere ærumnarum abyſſi, non vna mihi tentanda eſt ſuffagij via. Multum ero miſericors, vbi multa hominis graſſatur
pro. aſſlictio. Non vultus, non color vnus, v-
10. bi charitas vniuerſa delicta operire ſua-
Za.3 det. Mutatorijs induar, vt reuocem ab
Nu.5 errore mortales: diuerſorum colorum veſtes aſſumam, vt animos præder: varia
pſ.68 collum ſupellex exornet, vt iaculer corda. Placet videri multiplex, vt miſerationum multitudo redundet in populos. Placet varijs effingi figuris, vt quorumcunque deſiderantiū oculi peculiari de-
Ca.7 linimento trahantur. Olim ſolummodo ad Dilectum, nunc ad omnes conuerſio mea. Quid expectamus, Mortales? Cur hanc Virginem tot decorum, ſpecierumque varietate circundatam non amplectimur? quandiù in nobis obſequiorum ingenuitate ingrati animi obliterabitur macula? Ipſa, cùm in deſerto ſolitudinis exulamus, nobis promiſſionis eſt tellus:
Ec. ipſa, cùm humanę nos deſtituũt opes, eſt
24. noſtra Parens: ipſa, cùm magno fluctua-
Ca.4 mus æſtu curarum, eſt noſtra Soror: vt
pro. nobis portet panem de longè, fit Nauis:
31. vt nobis ſempiternæ pacis omina nunti-
Ge.8 et, fit Columba. Ipſa etiam, vt nos ex-
Eſi. pleat ſitientes, coaleſcit in fontem. Tu
10. paruus ille fons es, qui creſcens in fluuium, & lucis, & Solis imaginem ſuſcepi-
Ca.4 ſti. Ipſa etiam, vt nos à fatorum potenti tyrannide vindicet, obuerſatur in murũ.

Hu-

Huius muri tu Iudæ Rex præſenſiſti mi- 4 Re.
rabilem vim, cùm mortis ictu perterri- 20.
tus, faciem ad parietem conuertiſti, &
lachrymis validiſſimas preces agglutinaſti. Eia age tandem incipiamus vota pietatis ſaltem emittere, ſi remunerationis vicem gratiarum prohibent argumenta. Diſcamus à Virgine in diuerſa mutari, vnde ſemper integritas proficiſcitur, vbi ſemper optimus animi habitus commendatur. Vſurpemus à Virgine multiplicē Pſa.
virtutum, ac titulorum veſtem induere, 44.
in cuius fimbrijs coruſcat aurum, in cu- Pſ. 45
ius medio centrum continet Deus.

De varijs laudibus B. Virginis.
Ad duodecim Stellas, quę circundant caput Beatæ Virginis.

O quæ biſſeno facitis diadema pyropo,
Lętáq; virgineum cingitis aſtra caput.
Addite luminibus felicia lumina; veſtros,
Tollere iam radios neſcit oborta dies.
Sed reor, inſtabilis cœlo ſi voluitur annus,
Cœlo vos annos aſtra beata datis.
Cętera ſe iactent errare per ęthera, maior
Laus veſtrum eſt tanto fixa micare loco.

De eodem Argumento.

Sydera, quę frontē circum duodena coronant,
Virginis ex oculis promeruere iubar.
Et cuncta è diuo carpſūt quę munera vultu,
Dif-

Diffundunt auido prodiga facta ſolo.
Luminibus replent animos, ſuperũq; vigorẽ,
Quẽ dare nõ poterat Cynthius, illa dãbũt.
O mea ſi ſtellis ætas penderet ab iſtis,
Nõ foret, heu, tantis exagitata malis!

Luna ſub pedibus eius.

Ocyor aereos quid prodeſt currere campos,
Et nunquam placito poſſe manere loco.
Felices aliæ, nec dein ſine honore, poteſtis
Si quauis cœli ſtare, redire via?
O ego ſi celeres poſſẽ quoq; ſiſtere curſus,
Vſque ſub his pedibus prona iacere velim,
Æmula tunc eſſem Solis, ſic cauda colubri,
Cum me conatur lędere, tuta forem.

Beata Virgo abſtulit Euæ damna.

Queis fuſca eſt hominũ Genitrix primæua, tenebras
Inſolita tollis luce ſecũda Parẽs.
Illa cauernoſo mortem Phlegetonte cieuit:
Nobile tu vitę pignus ab axe trahis.
Illa tot in terras cœleſtia bella coegit:
Aligeros pacem tu reſonare facis.
Ne vultũ cœlo, ne lumina conde? repentè
Repit in humanum nox tęnebroſa genus.

Super illis verbis D. Lucæ c. 11. Beatus venter, qui te portauit.

Felix Virgo fuit, dum Numen cõtulit aluo,
Et proprio potuit paſcere lacte Deum.

Im-

Immò etiã felix, quod quẽ iã vẽtre locarat,
E mente excuſſus non magis ille fuit.
Par eſt, Mortales, è Numine diſcite, Numen
Siuè fouere animo, ſiuè fouere ſinu.

Super illud D. Auguſtini.
Hinc paſcor à vulnere, hinc lactor ab vbere.

Hinc Nati plagę paſcũt, hinc vbera Matris;
Sanguis abit plagis, vbera lacte fluunt.
Plaga cruore rubet, ſũt vbera candida lacte,
Prodit vtrinq; timor, prodit vtrinq; ſalus;
Me reor indignũ, mea cũ tot crimina cernã,
Seù lacte exaturer, ſiuè cruore fruar.
O mihi mens inſtar lactis candeſceret, ò cor
Extenſum caperet vulnera quina meum.
Vbere, Diua Parens, ſi me vis paſcere, terge;
Si me vis plagis paſcere Nate, feri?

Ad Beatam Virginem.
auctor de ſeipſo.

Fleuere Iſacidę quõdã Babylonis ad amnes;
O ego nunc etiã quo ſuper amne fleã! (dã,
In lachrymas ſoluar purę propè Virginis vn-
Et ſcelus omne meũ Virginis vnda luat.
Non eſt in terris, ni ſufficit iſta, leuamen:
Non eſt in terris, ni ferat iſta, ſalus.

In die Iudicij B. Virgini, ſe commendat
auctor.

Vltima caſuri cùm clanget buccina Mũdi,
Eſt mihi, quo condar, nullus in Orbe locus.
Si cęlum aſcẽdã, cœlum me fulmine terret,
Me, Mare ſi ingrediar, reſpuet ũda maris.
Audax ſi quęram terris remanere ſuperſtes,
Tellus, quot feci crimina, ferre nequit.
Reſtãt, Virgo, tuæ mihi ſola foramina petræ,
Ni lateris Ieſu, nulla cauerna patet.

Diſticum ſub Imagine Beatiſſimę Virginis Conceptæ.

Si patet hec folijs, latet altera pectore imago,
Et faber eſt huius ſculptor, & huius Amor.

LAVS DEO.

DE SPIRITV SANCTO

LIBRI TRES

Sanctiſſimo Domino noſtro

INNOCENTIO XI.

DICATI , AVTHORE

IO. IACOBO PALAEMONIO

Epiſcopo Martiranenſi.

Sciliani M.DC.LXXXV.

Per Marium Baronum Romanum
Impreſſorem Epiſcopalem.

Cum Licentia Superiorum.

BEATISSIME PATER.

NEceſſe eſt, vt iterum cum hoc opuſculo Spiritus ſancti Beatitudinis tuę prouoluar ad pedes. Benedictionis, & innocentiæ, quæ tuis in nominibus reſident, Spiritus Sanctus amator eſt. Benedictione referta ſunt opera cuncta, quæ facis: vniuerſa mandata, quæ ſtatuis, innocentiam olent. Ideò tuis geſtis, tuiſque nominibus plaudit Europa, plaudunt noti, plaudunt ignoti. Spiritus ille vnus, qui benedictione lætatur, & innocentia totũ terrarum orbem diuinis implet afflatibus, tuas dirigit actiones. Habes ſpiritum veritatis in ore, ſpiritumque cõſilij recondis in pectore. O quàm firmiter ſub felici tui Pontificatus imperio, omnium hæreſum expectatur occaſus; ſi prœmia perſolui virtutibus, pænaſq; irrogari ſceleribus patet. Compertum nunc eſt hyemes tranſiſſe ærumnarum. Tuta vbique locorum Spiritus Sancti Columba quieſcit, ſuſpicionem culparũ extinguit benedictionis authoritas, & innocentiæ nitor non patitur tenebras perdurare liuoris. Æternum vale Beatiſſime Pater, vt perpetua tecum benedictione adoleſcat Chriſtiana Reſpublica, & ad inſtar innocentiæ tuæ corda mortalium candicare perdiſcant.

Romę Kalendis Auguſti 1679.
Beatitudinis tuæ
Humillimus Seruus
Io: Iacobus Epiſcopus Martyrani.

Approbatio Operis.

LIbellum hunc, diuino fœtum Spiritu, demandante mihi Reuerendiſſimo Patre Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtro ſtudioſa auiditate reuolui. Et verè Columbæ pinnis conſcriptus, quæ eleganti concepit candore diuina recludit arcana, auaroque verborum circuitu collectus, locupletiſſimum ſupernarum veritatum Theſaurum diſpergit. Non eſt cur diù deliteſcat, ſed celeri prælo ſolutus, in hominum conſpectum aduolet, eo vel magis, cùm reclinandus ſit in manibus Sanctiſſimi Patris, cuius in mente tranquilla aſſiduè nidificando, promiſſas chariſmatum ſoboles quotidie progignet. Quam defert ſuam erumpat in lucem, et quæ parcis, ad profuſam Auctoris gloriam, paginis conſerit; prodigè ad lectorum fructũ pectoribus inſerat.

Philippus Grottieri Romanus Sac. Theolo. Lector, & Sac. Congregationis Indicis Conſultor.

DE SPIRITV SANCTO

Prologus.

PHiloſophorum par illud, quorum alter mœrori deuotus lachrymis ſine carentibus rigabat genas:alter ad humanorum geſtorum contemptum conuerſus, riſum vltrò naſcentem moderari non poterat: idem fermè principium, diuerſis veruntamen imaginibus excitabat vtrumque. Fletibus ille mortalium deplorabat errores: in cæcos hominum mores inuehebatur ille cachinnis. Cernebat ille laborem alios impendere in tenui, alios vanis allici lenocinijs, alios ſtudere ſceleribus, omnes proprijs inſeruire cupiditatibus. Mirabatur ille alios faſtu ſuperbire caduco, alios opibus gloriari deficientibus, alios cumulare ſophiſmata, vniuerſos confuſè inhærere deceptioni. Hinc etiam Hieremias,noćteſq;, dieſque ploraturus, aquam capiti poſtulabat, & fontem oculis lachrymarum: penetrare ſe cupit latebroſam in ſpecum, vitaturus populorum intuitus, declinaturus ab aſpećtu perfidiæ. Hinc pariter Dauid, cæterique diuino loquentes œſtro, hominem innumeris deſtinatum expoſuerunt iniurijs, illum, mendacē, doloſum appellauere,virum ſanguinum,obliuioni caſurum, exiguo tempore duraturum; hominis carnem æquarunt fœno, dies illius vmbræ ſimiles deſcripſerunt, inſtar folij ven-

 to-

corum flatibus agitati illius propoſuere tenuitatem. Totum hominem vanitati ſimilem retulerunt. Perpendendus eſt hominum ſtatus, vel riſu, vel lachrymis. Curſum ſibimetipſis conuenientem animantia rationis expertia noſcunt. Captat tẽpus ſuum Miluus in cœlo: nidificandi locum hirundo præſtolatur in vere: pariẽdi prope pelagi littus obſeruat Halcyon: Homo duntaxat iudicium non aduertit, in Domino delectari non vult, crescendi, & decreſcendi facultatem non percipit: vires deprauat ingenij, cupiditatum corrumpit ardores, vitalem præfocat potentiam, in exitium conatus impendit, naturæ molimina deſtruit, propoſiti receptacula polluit, & omnes mentis radios aſpernatus, abutitur voluntatis arbitrio. Idcircò fons vitæ, rerum Opifex, quo nihil eſt maius, & ſine ſolitudine ſolus, trinuſque in perſonis regnat vnus in maieſtate, qui potentiam omnem intus, & extra vno deſcribit in Verbo, cui cœlum eſt ſedes, & terra ſcabellum, cuius lumine ſplẽdet Sol, cuius munere vitæ munus obtinet homo, cordis dolore tactus, inquit, hominem ex luto finxiſſe me pœnitet: terram illam inanem, & vacuam, quam Spiritus meus aura renouauit ætherea, homo corrupit iniquitate. Ergo dies illius imminuam, & Spiritus non permanebit in æternum cum eo, qui caro eſt, caro infirma, imbecillis, rebellis, mortalis. Miſeros nos! tunc primnm in terris a nobis abeſſe Spiritus Domini didicit: Spiritus ille, qui tribuit cęlo virtutem, qui continens omnia

ſcientiam habet vocis, & vocum diſcrimina ſeptem format, qui luſtrans vniuerſa in circumitu, circulos repetit ſuos, & ſuper pennas ventorum obambulat: quo reperto, veritatis repertum eſt iter: quo comparato, nihil eſt neceſſarium, & optima electa pars eſt. Ex illius abſentia rurſum in terras afflictioni cognata inanitas regreſſa eſt, rerum confuſus eſt ordo, reſpuit natura temperiem, inter elementa ſurrexit exceſſus, & à numero elemétorum deletus eſt Æther: Abyſſi diſrupti ſunt fontes, apertæ cœli ſunt cataractæ, & terras inuaſere alluuiones aquarum. Formas omniū aboleuerant vndæ; vndæ ſolummodò referebant imaginem omnium. Tota ſpes Mundi clauſa iactabatur in arca, & ſalus Vniuerſi pendebat è ligno. Qui tum ſenſus in reliquijs hominum Noe? qui metus animantium occupauerant artus? Recordatus eſt tandē Dominus Noe, cunctorumque in arca viuentiū, adduxitque Spiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ. Adduxit Spiritum illa vnica tantum actione videndum, diuerſis in poſterum ſpeciebus perpetuò latitantem. Sed cùm priuationis ſit proprium excitare deficientiū appetitum, quærentes illum inſurrexerunt innumeri. Omnes concepere cupiditatem, pauci verò ſpiritū peperere. Alij votis, & victimis cæli fatigauere Reginam: alij menſam poſuere Fortunæ: alij Deū aduocarunt ignotum. Illum, qui nouerant ferri iam ſuper aquas, inuitabant ad lachrymas: illum, qui cōſumentem crediderant, ignem, ſuſpiriorum

accerſebant incendio: illum, qui arbitrati ſunt impetum, interuallo laborum nunquam admiſſo, implorabant ad fortia. Hunc perſpexerat animo Iob, cùm rogauit, indica mihi, ſi noſti omnia, in qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus ſit? vt ducas vnumquodque ad terminos ſuos, & intelligas domus eius. Huius lucem contemplatus Baruch locutus eſt: quis aſcendit in cęlum, & accepit eam, & adduxit eam de nubibus? quis transfretauit mare, & inuenit illam? O quibus paratur incommodis, cùm vltrò non aduenit! originem trahit ab ordine, & animorum errori non congruit: tabernaculum mutuatur à lumine, & cordium tenebris aduerſatur: libertatis gloriatur incurſu, & vitiorũ retinacula ſpernit. Aduolat, quò lumen oculorum obſeruat: moras præcipitat omnes, quò mentis candorem aduertit. Feſtinat gygantis inceſſu, quò ſenſuum meditatur integritatem, & religatur in crine: inhiat virtutum concentui, colit habituum diſciplinam. Sanctus eſt, ſuauis eſt Spiritus, ſubtilis, diſertus, incoinquinatus, humanus, mobilis, certus, ſtabilis, ſecurus, multiplex, vnus. Propter munditiã ſuam attingit vbique, propter pulchritudinẽ ſuam diſponit ſuauiter omnia. Vapor eſt virtutis Dei, ſinceraque omnipotentis Numinis emanatio, candor eſt lucis æternæ, diuinum maieſtatis ſpeculum ſine macula, ineffabilis bonitatis imago. Sub lingua placabili lignũ vitæ eſt, ſpei non mentientis ſemina ſpargit, gloriæ propagat radices, immortalitatis exu-

be-

berat fructibus. Humili ſub corde vinculum pacis eſt, ſtolam profert iuſtitiæ, lumine greſſus adornat, æternitatis præparat domum. Vnus eſt, & omnia poteſt, in ſe permanens innouat vniuerſa: cor lapideum mutat in carneum, in animas ſanctas ſe transfert, & amicos Dei, Prophetaſque conſtituit. Regionem ſpirat in omnem, & motu, lumine, & ſitu virtutum dona diſtinguit: cuncta videt, metitur, dinumerat. Doctor eſt veritatis, laudabilis elector eſt operis, quempiam deducit in terram rectam, & cæleſte nectar ab ore non prohibet. Effugit victum, & cogitationes ſine intellectu contemnit: præterita callet, futura pronunciat, ſermonum verſutias percipit, argumentorum diſſolutiones agnoſcit, ſcrutanda præbet maieſtatis arcana, & ſcrutantem gloriæ oppreſſioni ſubiacere non ſinit. Mentem impellit in altum, & captiuitatis catenas aſcendentem timere non facit. Inter elementa verſatur, & admirationem ex vnoquoque elementorum producit. Craſi copulatus ętheręæ, metas egreſſus humanas operatur diuina: terram perambulat, & in altiſſimis habitat: vitæ curriculum currit, & annos cogitat æternos in mente: principium agnoſcit à lege, & ſub lege non eſt. Terrena aliquando apparet ſub forma, & Sanctorum ſcientia decoratur. Ignis ſpeciem aſſecutus, contemplationi operam nauat, mandata Domini meditatur, & languet amore, latere gaudet incognitus, cùm manifeſtandi non adeſt occaſio. Vbi amor impellit ad actus, impetu graditur vehe-

menti, & omne miniſterium imbuit igne. Aereæ conſonus, qualitati actiuam præmonet vitam, tarda molimina negligit, varias repræſentat imagines, diuerſas mutatur in formas, omnibus omnia factus, pietatem, patientiam redolet, & iuſtificationum in ſtadio comprehenſurus brauium, iuſtitiæ ſemitas currit, & charitatis pertractat officia. Omniũ virtutum fit fundamentum, & baſis, cæleſtiũ radiorum eſt receptaculum, floriferum aperit ſinum, & ſuauiter effundit odores: floribus coronatur honoris, & fructus honeſtatis non negat. Aquæ temperiem nactus, mores concordat cum niuibus, augetur vndarum affluentia, & deuorat ſpecioſa deſerti. Sæpe ſoluitur in vapores, & nubium campos aſcendit: ſæpe reſonat murmure pœnitentiæ, & lachrymarum fluminis impetu Domini lætificat Ciuitatem. Primis in tribus omni tempore lucidus, nil inquinatum, nil incorruptum offẽdit, ſemper flagrat, ſemper igneſcit, & vt Philoſophus probat, corruptione vacat ignitum. Quis neſcit ætherem ab eodem Philoſopho ſiderum ſubſtantiam appellatum, motu circumuehi ſempiterno, & flammis coruſcare perennibus? Quis neget ignem, cuius color eſt lux, cuius officium eſt naturæ cuſtodia, diminutionem admittere nullam, excelſum attollere curſum, & circumuelatis nunquam comprehendi ſplendoribus. Teſtantur omnes aerem igne refertum, entia meare per omnia, rebus omnibus vitalem impertire calorem, cuncta mouere, cuncta ligare, vniuerſa comple-

plere. Reliquis in duobus occurrit identidē apparatu tenebrarum, & inter labem, & luē decreſcit, tabeſcit, labitur, deficit. Tellus, & aqua materia craſſiori conflantur, & diuinitatis naturæ ægrè reſpondent. Illa floribus coronata ſuperbit, animalia vocat ad luxus, & curioſa ſpinarum eſt, pomis, & frugibus grauida alit vulpes, & monſtra, & facta aliena in amaritudinem crebrò pertranſit. Iſta fortaſſe veteris alluuionis oblita ruinas, rerum ſe iactat initium, & adhuc procellarum expers eſſe non vult. Contendit luciditate cum Cœlo, & teterrimæ noctis eſt parens: tranquillitate manſuetudinem ſimulat, & charitatem inuadit: rectitudinem fortè ſtrepitu prędicat, & ipſa curſum peragit tortuoſum. Vtraque riget, vtraque feruet, corruptionis cauſa contentio in ambobus reſurgit, & ambæ corruptionem aſſumunt. In prioribus Spiritus coit in vnum, ſubijcit facta carnis, & ſuę naturæ solummodò memor, ſublimè volat, præbetque videnda, quæ oculus nunquam vidit: audienda, quę auribus omnium ſunt ignota: agnoſcēda, quæ nulli cordiū patuerunt. In poſtremis, quandoque multiplici carnis cura vallatus torpet, & ſegnis eſt: concupiſcit aduerſa, & perfectionis greſſu nō ambulat: iuxta carnis conſuetudinem ſerit, & metit exitium. Iſtis de cauſis plerumque Spiritus Domini, cùm in terras acceſſit, aut Angeli, aut ignis, aut aeris formam duntaxat aſſumpſit. Sub quercu Gedeonis inſtar Angeli viſus eſt: in rubo exarſit, vt ignis: ſuper cacumina Si-

nai nubis caliginem propemodum retulit. Poterat ille è ſummis Cœli prouincijs, vbi rutilant elementa puriſſima, ex illa terra, quæ cùm ſemel aperta eſt, Saluatoris germen apparuit, & ex illa aqua, quæ ad rorem, cùm impulit Cœlos, fons aquæ viuæ mundificans, & regenerans fluxit, intemeratam ſibi aptare figuram: Sed adeò corruptionis maculam odit, vt corruptibilium ne quidem imaginem ferre poſſit, inter ſordes permanere non valet, qui Cœli dicitur ornamentum: infirmitatibus inhærere non ſuſtinet, qui ſpiraculum vitæ eſt.

LIBER PRIMVS.

De Myſterio Trinitatis.

I

MYſterium Trinitatis illuxit in Adæ formatione, cùm dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem noſtram. Ex illa locutionis forma patuit pluralitas perſonarum, & vnitatis imago non latuit. Idque perſpectum eſt iterum manifeſtius ex eiuſdem Dei verbis, ecce Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis; quod plurale dicendi genus ſolitudinem non ſonabat. Inſcius tanti myſterij nõ extitit Abraham, quando tres vidit in valle Mambre, & adorauit duntaxat vnum. Senſit hoc clarè Iob, quando ærumnis penè obrutus vniuerſis exclamando perdoluit, viuit Dominus, qui ſic me iudicauit, & omnipotens, qui amaram fecit animam meam, & Spiritus diuinus, qui tenetur in naribus meis. arcanum tàm grande, ſi fides aliqua danda eſt antiquis, confeſſus eſt Triſmegiſtus illa paucitate verborum, Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem; quod etiam, vt aiunt, Pythagoras ſuperno ſpiritu fortaſſe correptus aſſeruit; vbicunque vnum reperitur, illud fæcundum eſt, & generans: generatum verò binarius eſt, aut ſecundus; sed illud, quod vtrũque connectit, ternarium facit.

Vnus

2

Vnus Deus in Patre, in Filio, & in Spiritu Sancto.

IN Patre, in Filio, & in Spiritu Sancto vnus Deus, & vna diuinitas intelligitur: diuina natura vbique diſtenta loci non admittit diuerſitatem. In perſonis diſtinguitur Trinitas, & in diuinitate concluditur vnitas, quoad communem eſſentiam indiuidua, quoad perſonales proprietates diſcreta. Neſcit vnitas ordinem, quando gradum ignorat æqualitas. Vbi prius non eſt, nec poſterius, maius non adeſt, nec minus. Vna coruſcat maieſtas, vbi vna ſerenat æternitas. Eadem regnat poteſtas, vbi eadem fulget ſubſtantia. Pater, qui eſt rerum omnium fons, principium eſt principio carens; Filius nullo tempore factus, ſed genitus ſolum à Patre, eſt principiũ ex principio; Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio, vno ipſius procedens principio, alius eſt ab vtroque, & vtrique communis eſt in natura. Quæ facit opera Pater, facit & Filius, & à Patre, & a Filio Spiritus Sancti operatio nõ ſecernitur.

3

Sumi poteſt Spiritus Sanctus pro vna dictione, & pro duabus.

AVt Spiritus Sanctus duarum eſt dictionum, & toti communis eſt Trinitati. Siqui-

quidem Spiritus eſt Pater, Spiritus eſt Filius: Sanctus eſt Pater, Sanctus eſt Filius. Immaterialitatem diuinæ ſubſtantiæ exprimit Spiritus, & diuinæ puritas bonitatis ſignificatur in Sancto. Aut eſt vnius, & tertiæ tantum perſonæ reſpondet. A Patre, & à Filio procedit per modum amoris, & vnum agnoſcit ab vtroque principium, quia vna virtus eſt Patris, & Filij, vnum eſt nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vna charitas, vna gratia. Fons vitæ eſt Pater, fons vitæ eſt Filius, fons vitæ eſt Spiritus Sanctus. Lumen eſt Pater, lumen eſt Filius, lumen eſt Spiritus Sanctus, & vbi eſt Pater, ibi eſt Filius, & vbi eſt Filius, ibi eſt Spiritus Sanctus.

4
Quomodò oriatur Amor diuinus, à quo vera felicitas manat.

EX Patris, & Filij reciproco impulſu pullulat amor, qui Spiritus appellatur. Nexus eſt vtriuſque continens omnia, ludenſque in orbe terrarum radios vndique lucis effundit, rorat, igneſcit, tonat, & pluit, & vbi cādicat fides, cum Patre, & cum Filio ædificat manſionem. Veritatis inuentor, charitatis eſt diſtributor. Author eſt fidei erga Deum: cibus diligentium Chriſtum, quo nullus eſt ſatur: potus fidelium, quem vnuſquiſque qui bibit, iterum ſitit. Semper ſatietati vicinus affectus humanus eſt, nunquam diuinus. Faſtidij conſors eſt humana quæque felicitas: oritur

tur cum labore, & coaleſcit cum tædio. Furoris impetu fertur, & foueas non vitat errorum. Expoſita ſordibus addicitur petulantiæ, fomes euadit ſuperbiæ, & in verba præcipitationis excurrit. Nullum habet ſolatium, qui felix in mundo eſt Sæpe calamitas eſt, quæ prouenit de voluptate lætitia.

5

Vniuerſa ſubduntur imperio Spiritus.

SEruiunt vniuerſa Spiritui, in cuius conſpectu ſemper ignis ardeſcit; cuius arbitrio terra ſtat in æternum; quo iubente procellas parturit aer; quo flante perennes defluunt aquæ. Qui mundi totius eſt arbiter, ſingulis diuidit, prout vult. Luce colorat ignem, coronat floribus terram, veſtit nubibus aerē, dulcedine replet aquam, neminem fugit quā præſit hominibus, infirmos, & fortes, doctos, & rudes, ſeruos, & reges à ſuo non excludit imperio; & in circulis, & in carceribus, & inter flammas, & cruces excitat libertatis ingenia. Sexum, qui expers eſt virium, impellit ad vltimum vitę diſcrimen. Ætatem, quæ laborum impatiens eſt, permouet ad laborū, & pœnarum amplexus. Contemni faſces, & cuncta honorum inſignia pro Numinis cultu ſuadet. Inire pugnas, & fortiter dimicare pro lege adhuc accendit imbelles.

Spi-

6

Spiritus Sanctus eſt digitus Dei.

DIgitus Dei Spiritus Sanctus eſt, quo mundi moles ſurrexit, quo firmati ſunt Cœli, quo ſidera didicere ſplendorem. Huius digiti vi filij Abrahę è lapidibus enaſcũtur, noua terra deſcendit ab aſtris, & laruæ fugãtur inferni. Hic digitus inter tonitrua, & fulgetra legem deſcripſit in monte, regni decreta promulgauit in muro, hominum peccata diſtinxit in puluere. Semper ſcribit in tabulis cordium, & veritatis manifeſtat arcana: atramento non vtitur, voces imprimit fide. Beatitas eſt, fauſtitas eſt vbi fulget. Ibi viret cuſtos mandatorum iuſtitia, honeſtatis vndique pullulant flores, & fructus gloriæ coaleſcunt: præeſt ſimplicitati coniuncta prudentia: præcauentur futura conſilio, & cunctatione conijciuntur incerta. Fortitudinis rutilant munimenta: metuitur nihil, & cũcta deſpiciuntur humana. Viget virtutum locuples temperantia, diſciplinæ exercitio coercentur affectus, & mores examinantur incendio charitatis.

7

Spiritus Sanctus procedit à Patre, & à Filio, tanquam ab vno principio.

VNum principium Spiritus Sancti ſunt Pater, & Filius, à duabus perſonis Spiritus Sanctus, tanquam ab vno procedit principio, nec perſonam principium, ſed proprietatem ſignificat. Vna eſt natura, vna proprietas eſt. Perſonarum pluralitas ſpirantes di-

ſtinguit duos, ſed duos ſpiratores vna non permittit ſpiratio, vna virtus amoris vnitiua duorum plura nomina ſubſtantiua non patitur.

8

Spiritus Sanctus cooperator eſt Patris, & Filij, & Patris, & Filij, & Spiritus Sancti indiuiſum eſt regnum.

PAtris, & Filij indiſtinctus operator eſt Spiritus: procedit à Patre, & à Filio, & à Patre, & à Filio operando non ſeparatur. Separari non poteſt à Patre, qui Spiritus oris eius eſt: ſecerni nequit à Filio, qui cum Patre, & cum Filio eſt vna ſubſtantia. Patris, & Filij plena præſentia eſt, vbi ſpiritus ſpirat: conuenit Pater, conuenit Filius, vbi Spiritus diuerſatur. Vt Pater, vt Filius incircumſcriptus, imperſcrutabilis eſt, habens in Deitate perſonam. Qui Spiritum negat, & Deum Patrem, & Deum Filium negat, ſicut vna eſt diuinitas, ita vna eſt iniuria. Trinitatis indiuiſum eſt regnum. Vnum eſt Patris, & Filij, & Spiritus nomen, & cum nominis vnitate non congruit diſparilitas. Vnitas confuſioni non ſubiacet, numeri quantitatem excludit, & omnium ipſa principium eſt.

9

Spiritu fœcundante generata ſunt omnia.

STerilis nunquam eſt, qui generationem tribuit omnibus. Spiritu fœcundante generata ſunt omnia. Cùm ſuper aquas in mundi cunabilis enatabat, ſemina diffundebat v-

niuerſorum. Lucis radios tunc euocabat ad auras,& terræfaciem floribus colorabat. Colles tunc intumeſcere decernebat, montiumq; cacumina nubibus coronari. Fidei elementa tunc obſtringebat, & aduerſantia copulabat in vnum. Superioribus tunc ſimilia conſtituebat inferiora, in mixtione, in ſitu, & in perfectione tantummodò differentia. Nunc quis neſcit à Spiritu reuelari ſcientiam, procreari conſilium, exprimi fortitudinem, produci timorem, concipi ſanctitatem? In Spiritu Sancto donorum omnium continetur theſaurus, ſub cuius vmbra miraculis natura non vacat: ſi diuino decorata ſplendore obſtupeſcit humanitas, & humano langueſcit amore ſuccenſa diuinitas.

10

Diuini amoris ius competit omnibus.

PVblica res diuini Numinis amor eſt, quo terra, & Cœli ſunt pleni, & maieſtatis æternæ fulgent participes. Nulli præcluditur, cunctis patet, omnes admittit, vniuerſos inuitat, doctos, indoctos, ſeruos, reges, & exules. Idcircò fluminis nomen accipit, & ſimilitudinem refert Solis: eius aquam bibere cuique licet: à calore eius abſconditur nemo, diuini amoris ius competit omnibus. Diuinorum communis eſt vſus. Hanc facultatem orbis terrarũ didicit totus, cùm effuſus eſt Spiritus Domini ſuper omnem carnem. Tunc compertum eſt viuere Spiritu Domini Mundum. Si Spiritus Domini in Mundo non fla-

ret, Mundus vita careret. O quot modis, & quas per vias afflat ſpiraculum vitæ! diuidit aquas ab aquis, & procreat lucem: percutit lapides, & elicjt fontes: inclinat Cœlos, & excitat è Virgine Saluatorem: ſepulchrorum oſtia reſerat, & vitam adhuc immittit in cineres.

11

Spiritus Domini ſicut ros, & gratia Domini ſicut flumen.

DEſcendit è Cœlo Spiritus Domini, ſicut ros, & gratia Domini inundat, vt flumen. Statim ac Spiritus rorem emiſerit, affluit in terris copia gratiarum, cæleſtium donorum terra fit capax, & lætitiam fluminis agnoſcit ex impetu. O quam lucem parturit ros! ò quæ decurrit è flumine pax! Ab illa diſcitur luce tenebrarum opera expellere, quando in rore terrenarum potantur obliuia voluptatum: ab illa apprehenditur pace annos in mente euoluere æternos, quando in flumine labentis vitæ velox animaduertitur curſus. Illa luce, illo rore abſque dubijs exæſtuat veritas, & cum incertis experimenta conſentiunt, illa pace, illo flumine fidei recluduntur ænigmata, & ſublato ſpeculo figurarum res viſa reſpondet auditui.

12

Patris, Filij, & Spiritus Sancti vnum eſt conſilium.

VNum eſt Patris, Filij, & Spiritus Sancti conſilium, in quo fulget maieſtas, habitat ſapientia, flagrat charitas; è qua defluit

fluit ſalus, proſilit veritas, demanat virtus. Illinc ab aquis diuerſæ ſunt aquæ, & radiare lux cepit. Iacta mundi ſunt fundamenta, & nouit homo primordia. Exceſſit totius carnis corruptio, & aquarum alluuione deleta eſt vniuerſitas rerũ. Illinc imminutæ ſunt aquæ, & facies terræ rediuiua coaluit, placidiora viſa ſunt ſidera, & Angelorum eſcam pluere didicit Cœlum. Induit immortalitatem mortalitas, & gratia Saluatoris enituit.

13

Spiritus Sanctus indeficiens lumen eſt.

INdeficiens illud ortum in Cœlo lumen Spiritus Sanctus eſt, cuius veſtigium vbique ſplendet, vndique fulget; cuius poteſtas penetrat omnia, continet vniuerſa. In tenebris lucet incomprehenſus à tenebris: neſcitur vnde veniat, aut quò vadat, & in incertũ non currit, multiplicem aperit virtutibus viam, & libertatis dona non aufert. Ambages tollit, & præcipitat moras. Formoſus, blandus, lætificat, allicit, aſpici gaudet, & aſpicientibus regna promittit: recipi peroptat hoſpitio, & largitur hoſpitibus vitam. Omnes, qui diligunt illum, appellantur filij lucis, & arma lucis induti, opera tenebrarum abijciunt. Oculis ſomnum non dant, & vigiles ſponſi cæleſtis ſemper expectant aduentũ. Miſer, qui Numinis tanti calorem ignorat; infelix, qui tanti ſplendoris amore non capitur.

14

Spiritus Domini vera lux eſt.

VEra lux Spiritus Domini eſt, ante cuius lucem ſurgere, vanum eſt: ſine cuius luce viuere, mortis habitatur in vmbra. Si oculis cordis lux iſta non bibitur, doloris editur panis: huius quicunque lucis eſt expers, illicò lachrymarum eſt particeps: viam rectam non ambulat, & tenebris circumducitur: abeſt à ſanctitate, & gratiarum diuiſiones ignorat. Hac, qui luce repletur, Chriſti fit bonus odor, & oleo lętitiæ perfuſus exultat. Diuinæ cernit pulchritudinem veritatis, & angelicæ comparatur naturæ. Subſtantia Paradiſi lux eſt, æternis è montibus defluēs, & viuentium coruſcans in terra. Quos hæc lux non illuminat, latet in lumine lumen. Spiritu promiſſionis Sancto repleti non ſunt, & theſauros non reponunt in Cœlo.

15.

Dilectionis doctrina, Spiritus Sancti doctrina eſt.

DOctrina Spiritus Sancti, doctrina dilectionis eſt, quæ cuſtos eſt legis, quæ ſequax eſt gratiæ. Commune cum terra, nil quærit: rerum humanarum domina, varietatis amica eſt, ſed conſtantiæ non repugnat. Inſtar ſiderum contrarium Mundo proponit iter, & docet in quolibet ſtatu integrum animæ ſeruare cenſum. Inter anguſtias docet inuenire quietem, pro charitate paciſci vitam, è ſpinis colligere lilia, elicere è forti dulcedinem, vinculo amoris inuicem vniuerſa cōnecti, & vndequaque diſtingui in vniuerſis inſignia libertatis. Magnitudine pacis aduerſario-

ſariorum argumenta confutat: viciſſitudine rerum mundi figuram præterire demonſtrat, & ad ſimilitudinem vmbræ, vel fumi mortalium euaneſcere ſpecioſa. Docet ſcientiam vocis, quæ dirigit omnia, qua aurum comparatur ignitum, cui obediunt omnia, quæ ſonat in verbo, quo firmati ſunt cœli, quo Mūdus ſurrexit in formam. Quicunque hac doctrina profecerit, laureā adipiſcetur in cęlo.

16

Spiritus Sanctus eſt boni dator, & cuſtos.

BOni dator, et cuſtos ipſe Spiritus Sanctus eſt. Nil meret humanitas, nulla eſt in humanitate ſufficientia. Si quid in terris decidit optimum, deuenit deſuper: ſi quid inter homines extat perfectum, donum Numinis eſt. Non eſt in mundo ſubſtantia, aut fallax, aut vanum, quicquid nitet in mundo. Alligat vnumquodque peccati lex: lege peccati captātur omnes: à mali contagione ſolutum cernitur nihil. Quale caput ambitione non fumat? quale cor candicat caſtitate? Senſum, quamplurima cogitantem terrena inhabitatio deprimit. Terra ſpinas, & tribulos germinare non ceſſat. Semper caro aduerſus Spiritum concupiſcit. Tentatio eſt vita hominis, & vix inuenitur in tentatione fidelis. Spiritu Sancto non ſuffragante nec velocitas prodeſt ad fugam, nec parat fortitudo ſalutem, nec aceruat doctrina diuitias, nec ad gratiam ſufficit ars.

17

Spiritus Sanctus oleum lætitiæ eſt.

OLeum lætitiæ Spiritus Sanctus eſt: auro non emitur, nec argento, ſed lachrymis, & gemitibus. Habent lachrymæ diuitias ſuas: opibus abundāt gemitus. Delent lachrymæ errores, quos verbis pudor eſt confiteri: expellunt vitia gemitus, quæ gaudijs coaleſcunt. Fallunt interdum verba, decipiunt gaudia: lachrymæ omninò non fallunt, gemitus non decipiunt. Hoc, qui taliter emit, iucunditate lætatur haud labili: abhorret à luctu, & iugi ſalutis voce aſpirat ad cœlum. Signū ſecuritatis oſtentat in fronte, cùm Domini furor ſæuit in terras: libertatis munere fungitur, cùm vincula ſeruitutis opprimunt vniuerſos. O quid roboris lachrymis ineſt! O quid ponderis latitat in gemitibus! vnctus hoc oleo, victus in arena non cadit, ſed fortis ad certamen ſemper inſurgit, & aduerſario nunquam cedit. Vndique bonum diffundit odorem, quo flammæ dediſcunt ardere, leoneſque feritatis obliti molleſcunt. Vbi fluxerit ſemel, nunquam deficiet. Seruatur in habitaculo iuſti, diſſipatur ab imprudente. Sanctificat lapides, & aquas in vina conuertit: concipit ſapientiam, & parturit lucem: amplectitur veritatem, & excludit ambages.

18.

Spiritus Sanctus pater pauperum.

PAter pauperum, & non diuitum Spiritus Sanctus vocatur. Magnum latet in paupertate myſteriū. Paupertas virtutum parēs, deformis eſt alijs, formoſa Deo, quia totum dat animæ, nil carni relinquit. Cenſum agno-

ſcit in manibus, quas extendit ad fortia: ſubſtantiam collocat in laboribus, qui fructus pariunt ſanctitatis. Vniuerſis egere prægeſtit, & amplam gratiarum enumerat ſuppellectilẽ. Suos habet in cœlo theſauros. Contenta eſt innocentiæ gaudio duntaxat in terris, ſed cũctas vſurpat in cœlo delicias. Illic, vbi nacta eſt theſaurum, detinet cor. Terrenas reſpuit, & cæleſtibus inhiat voluptatibus. Gaudet ſola in mundo videri, & conſuetudinem Angelorum affectat. Inter homines expallere non dolet, ſi in ciuitate Domini fulget, vt lilium. Scit nudos ab Eccleſia ſuſcipi filios, nudumq; Adam paradiſi incolam extitiſſe.

19

Aſſecla Spiritus Sãcti languet amore.

SAgittarius cordium Spiritus Sanctus eſt: immaculatorum vulnerat corda, & ſagitta ſalutis infligit vulnera amoris. O quanta erumpit ex omni vulnere charitas! tota ſubſtantia domus pro dilectione deſpicitur, nulla è ſanguine expectatur vtilitas. Sceptri, & purpuræ flocci penduntur honores: odioſæ ſunt carnis illecebræ, & ablegatur è mente vanitas. Exæſtuat intus cor, & per oculos euadit in lachrymas. Exoptatur beata ſpes, & lucrum putatur mori. Quiſquis in Mundo viuit inuulneratus, aſſecla Spiritus Sãcti nõ eſt. Amore saucios, & charitate languẽtes Spiritus Sanctus amplectitur.

20

Beatitudo ex amore Dei.

Ar-

ARdere Deo beatū eſt: ardor enim Dei, ardor amoris eſt. Igne, quem miſit in terram Deus, corda concalent omnium, qui beatitatis non ſunt expertes. Diſſoluntur in lachrymas, & ſemper amplius perpurgari amabili concupiſcunt incendio. Irrequietos iterant gemitus, & ad oſcula amati Numinis cōuocari præſtolantur impatienter. Flagrant, æſtuant: amant, & vigilant: amore concreſcunt, & gaudent: labori non cedunt, & difficultatis conſilium non admittunt: ſuperna ſperunt, & terrena faſtidiunt: futurum præſentiunt è flammis imperium: ſuccenſuram ominantur ex æſtu felicitatem.

21

Amor Dei merces eſt

PLena merces eſt amor. Plenitudinem gratiarum, qui amat, aſſequitur. Fidei fortitudine præſtat, & omnia vincit, vt mors: morum puritate reſplendet, & micat, vt fax: operū pulchritudine excellit, & olet, vt flos. Laborat, & ſilet: ſuffert, & gaudet: lāgueſcit, & ſperat. Non timet à frigoribus niuis, quia conflagrat charitate. Non metuit paupertatis opprobrium, quia nunquam derelictus eſt iuſtus. Nullis agitatur incommodis, quia Deū diligenti pax multa eſt. Oneroſum nil ſentit: inæquale nil putat: è forti dulcedinem haurit: in vinculis inuenit libertatem. Properat, volat, & ſurſum ſemper aſpirat. ſcit progredi, ſed regredi neſcit: Petit regnum, quod intus habet; quærit Deum, qui ſecum manet.

22

Super mel dulcis eſt Spiritus Domini.

DVlcis eſt ſuper mel Spiritus Domini, qui licet è petra diffundat mel, gratiæ ſuauitatem elargitur è cœlo. Hauſtu mellis quantumuis illuminet oculos, Sanctorum ſplendoribus ſanctificat animam. Dulcedinē in benedictionibus præbet, qua nouus ætatū incipit ordo, & maledictionis iniuriam elementa dediſcunt. Non deſinit amplius aduerſorum influxuum ab aſtris amaror, & remisſionis, & indulgentiæ in terris vocabula reſonant. Dulceſcunt iam colles, & montes, & procul è mundo ablegatur aſperitas. Dona Spiritus Domini ſunt vbique domeſtica: nullibi prauitatis remanſere veſtigia: vndequaque pietatis abundant officia.

23

Sine Spiritu Sancto vana ſunt omnia.

DIgna vel riſu, vel planctu quæcunque in terris Sancti Spiritus vmbra carent. Vanitatem omnia ſonant, quæ Sancti Spiritus aura non tument. Humana ſcire quid prodeſt, cùm Sanctorum ſcientia latet? Quid regnis præeſſe iuuat, cùm cœli non expectatur hæreditas? Quale lucet in purpura decus, quando corrumpitur tineis? Quæ ſecuritas eſt in auro, quando latronum inſidijs ſubiacet? vidimus ſuperbam regum euanuiſſe memoriā, caruiſſe diuites obolo, ſapientiam deſiuiſſe in ſtultitiam, forteſque ſolo iacuiſſe proſtratos. Crebrò inter roſas latuit ſerpens: crebrò ſucceſſit ſerenitati tempeſtas. Sæpe iucundi-

tatis calices coronauit cupreſſus: matutinam ſæpe lætitiam veſpertinus obruit luctus. Durabile in Mundo nil eſt: cedunt cuncta fortunæ. Solum eripit ſe fortunæ, qui Spiritui Sancto ſe credit.

24

Spiritus Sanctus interpres eſt Patris, & Filij, & pignus noſtræ hæreditatis.

QVantum petimus precibus, tantum vel ad votum, vel ad profectum impetramus à Spiritu Sancto. Spiritus Sancti accedēte fauore irrita noſtra vota non cadunt. Patris, & Filij Spiritus Sanctus interpres eſt. Sicut Pater, cui vult, miſeretur: Filius cui vult Patrem reuelat. Spiritus Sanctus ſingulis, prout vult, dona diuidit gratiarum. Nec Pater, nec Filius feſtinæ Spiritus Sancti facultati repugnat. Spirat, flammeſcit, & volat. Pignus hæreditatis noſtræ eſt, qui è tenebris tranſtulit nos ad lucem, & è filijs irę, in partem ſortis Sanctorum nos dirigit. Niſi repleremur ipſius lumine, ſederemus in vmbra mortis, & excluderemur à regno: laboraremus in ventum, & noſtram alieni occuparent hęreditatem.

25

Ductus Spiritu Dei in arduis cauſis non caret conſilio.

QVicquid humana ſpes negat, & importuna neceſſitas non concedit, ſæpe ſecreta Spiritus via contingit. in arduis cauſis defluit è cœlo conſilium. Terrenum cùm deeſt, cæleſte nunquam deficit adiumentū. Cæleſtis amor, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filijs hominum, deſtitutum auxilio neminem patitur

tur intueri, & ſpirat, & flat, fideique ſilentio medelam inſinuat. Miſeretur, & parcit: excuſationis occaſionem admittit, & delicta obliuiſcitur vis amoris. Docet pietatis obſequia, & renouat gratiam ars amandi. Neſcit Spiritus Sanctus non reſpondere dolori, aliorumque cernere cæcitatem, & lumine veritatis non radiare.

26

Filij teſtis Spiritus Sanctus.

TEſtis Filij Spiritus Sanctus eſt; qui nouit omnia Filij, de Filio perhibet teſtimonium. Filium profiteri nō poteſt, niſi Spiritus veritatis. Affirmatur à Spiritu empta Filij ſanguine ſalutaris Mundi libertas, Sanctorum manium exolutus tenebris populus, euerſum abyſſi regnum, exuta viribus mors. Spiritus teſtificatio pro Filio fertur, cùm peccati, cum iuſtitiæ, & cùm iudicij mundus arguitur: cùm increpantur increduli, qui veritatem execrationibus abdicant: cùm cæci reprehenduntur, qui triumphantem in cœlo nō intuentur: cùm decantatur eorum impietas, qui principem tenebrarum non exiſtimant debellatum.

27

Lingua Dei Spiritus Sanctus eſt, & monet vnumquemque de morte.

LIngua Dei Spiritu Sanctus eſt, loquitur omnibus, & diuinorum interpretatur arcana. Omnes docet veſtigia veritatis: vniuſcuiuſque intonat auribus, morieris. tanquam aliò migraturus vtere mundo. rura, honores,

opes, diuitias, regna, potentiam deſeres tandem, & aliud tecum, præter animam, non aſſumes. Quid ages cum illa, ſi fuerit nequam? nulla ſpes reſtat: pietatis clauſum eſt oſtium: tormenta ſunt præſto: deuoratrices in promptu ſunt flammæ. Cõfuſionis indutus opprobrio fruſtra natalis tui maledices initium, cunctorum actorum ſuperſtes inanis eſt dolor. Eia ergo cogitationes pacis nunc cogita: annos æternitatis in mente nunc habe.

28

Nemo poteſt abſcondi à calore Spiritus Sancti.

QVisnam poteſt à Spiritu Domini fugere, ſi Spiritus Domini quocunque fulgeſcit in loco? virtute Spiritus Sancti rorant deſuper cœli, & è nubibus depluit iuſtus: panditur terra, & Saluator apparet: dulcedo manat è montibus, & venti beatam referunt ſpem: ceſſant per orbem vincula, & libertas elucet: tranſit hyems, abit imber, & putationis aduenit tempus. Aut mentitur, aut fallit, qui eius non confitetur ardores. Excitat omnes ad gratiam, profert omnibus arma lucis. Nuda oculis Dei hominum peccata conſiſtũt. Tenebris ſuis cælare delicta non poteſt nox. Vt occultentur errores, latebras terra nõ habet; vt reatus abſcondat, aer nebulas non expandit. Arcana patent abyſſi, mariſque latibula præpanduntur. Commaculant peccata cœlum, & rerum vniuerſitas mœret.

29

Via Spiritus ignoratur.

Via

VIa Spiritus,quæ viatorem inuitat immaculatum, nemo ſcit.Inueſtigare viam quis nouit amoris?Amor, qui ſemper eſt liber, vno itinere coarctari non patitur.Nemo ſcit vndè veniat, aut quò vadat, ſed vadens, & veniens vbi vult, ſpirat, & gratuitò Paradiſi iucundiſſimos afflat odores.*De* ſe nil exiſtimet ſalutare,qui viam Spiritus non cucurrerit. Illic, qui otio glorietur, non eſt. Via virtutis deſides non admittit:illic pes ille ſuperbiæ, qui vago pererrat curſu, veſtigia nō relinquit.Ab illa via declināt iniqui.Greſſus illic imprimuntur iuſtificationum , & quilibet greſſus redolet gratiam. Nullus illinc tenebrarum proſilit horror, veruntamen emicat vndique lux, quæ omnem illuminat hominem, & miſericorditer præparat electos ad gloriam. Felix ille viator , qui fidei,& charitatis refertus viatico, in hac Mundi peregrinatione egeſtatem offendere non formidat, ſi Angelorum veſcitur dapibus : euaſiirū ab omni lapſu ſe ſperat incolumem, ſi ſecum agnoſcit ſalutis authorem.

30

Spiritus Sancti non patet oraculum.

QVod per legem non licet,Spiritus Sanctus permittit. Oraculum Spiritus Sancti non patet.Neſcitur vnde veniat , aut quò vadat.Genus pietatis eſt patrios obliuiſci penates,& conuerſationem in cœlis expoſcere. Non errat, nec fallitur, qui paternam contēnit hęreditatem; quam oculis non intuetur, expectat . Eripitur è mundi calamitatibus, & gau-

VEra lux Spiritus Domini eſt, ante cuius lucem ſurgere, vanum eſt: ſine cuius luce viuere, mortis habitatur in vmbra. Si oculis cordis lux iſta non bibitur, doloris editur panis: huius quicunque lucis eſt expers, illicò lachrymarum eſt particeps: viam rectam non ambulat, & tenebris circumducitur: abeſt à ſanctitate, & gratiarum diuiſiones ignorat. Hac, qui luce repletur, Chriſti fit bonus odor, & oleo lętitiæ perfuſus exultat. Diuinæ cernit pulchritudinem veritatis, & angelicæ comparatur naturæ. Subſtantia Paradiſi lux eſt, æternis è montibus defluẽs, & viuentium coruſcans in terra. Quos hæc lux non illuminat, latet in lumine lumen. Spiritu promiſſionis Sancto repleti non ſunt, & theſauros non reponunt in Cœlo.

15

Dilectionis doctrina, Spiritus Sancti doctrina eſt.

DOctrina Spiritus Sancti, doctrina dilectionis eſt, quæ cuſtos eſt legis, quæ ſequax eſt gratiæ. Commune cum terra nil quærit: rerum humanarum domina, varietatis amica eſt, ſed conſtantiæ non repugnat. Inſtar ſiderum contrarium Mundo proponit iter, & docet in quolibet ſtatu integrum animæ ſeruare cenſum. Inter anguſtias docet inuenire quietem, pro charitate paciſci vitam, è ſpinis colligere lilia, elicere è forti dulcedinem, vinculo amoris inuicem vniuerſa cõnecti, & vndequaque diſtingui in vniuerſis inſignia libertatis. Magnitudine pacis aduerſario-

fariorum argumenta confutat: viciſſitudinem rerum mundi figuram præterire demonſtrat, & ad ſimilitudinem vmbræ, vel fumi mortalium euaneſcere ſpecioſa. Docet ſcientiam vocis, quæ dirigit omnia, qua aurum comparatur ignitum, cui obediunt omnia, quæ ſonat in verbo, quo firmati ſunt cœli, quo Mũdus ſurrexit in formam. Quicunque hac doctrina profecerit, laurea adipiſcetur in cęlo.

16

Spiritus Sanctus eſt boni dator, & cuſtos.

BOni dator, et cuſtos ipſe Spiritus Sanctus eſt. Nil meret humanitas, nulla eſt in humanitate ſufficientia. Si quid in terris decidit optimum, deuenit deſuper: ſi quid inter homines extat perfectum, donum Numinis eſt. Non eſt in mundo ſubſtantia, aut fallax, avt vanum, quicquid nitet in mundo. Alligat vnumquodque peccati lex: lege peccati captatur omnes: à mali contagione ſolutum cernitur nihil. Quale caput ambitione non fumat? quale cor candicat caſtitate? Senſum quamplurima cogitantem terrena inhabitatio deprimit. Terra ſpinas, & tribulos germinare non ceſſat. Semper caro aduerſus Spiritum concupiſcit. Tentatio eſt vita hominis, & vix inuenitur in tentatione fidelis. Spiritu Sancto non ſuffragante nec velocitas prodeſt ad fugam, nec parat fortitudo ſalutem, nec aceruat doctrina diuitias, nec ad gratiam ſufficit ars.

17

Spiritus Sanctus oleum lætitiæ eſt.

ſcit in manibus, quas extendit ad fortia: ſubſtantiam collocat in laboribus, qui fructus pariunt ſanctitatis. Vniuerſis egere prægeſtit, & amplam gratiarum enumerat ſuppellectilẽ. Suos habet in cœlo theſauros. Contenta eſt innocentiæ gaudio duntaxat in terris, ſed cũctas vſurpat in cœlo delicias. Illic, vbi nacta eſt theſaurum, detinet cor. Terrenas reſpuit, & cæleſtibus inhiat voluptatibus. Gaudet ſola in mundo videri, & conſuetudinem Angelorum affectat. Inter homines expallere non dolet, ſi in ciuitate Domini fulget, vt lilium. Scit nudos ab Eccleſia ſuſcipi filios, nudumq; Adam paradiſi incolam extitiſſe.

19

Aſſecla Spiritus Sãcti languet amore.

SAgittarius cordium Spiritus Sanctus eſt: immaculatorum vulnerat corda, & ſagitta ſalutis infligit vulnera amoris. O quanta erumpit ex omni vulnere charitas! tota ſubſtantia domus pro dilectione deſpicitur, nulla è ſanguine expectatur vtilitas. Sceptri, & purpuræ flocci penduntur honores; odioſæ ſunt carnis illecebræ, & ablegatur è mente vanitas. Exæſtuat intus cor, & per oculos euadit in lachrymas. Exoptatur beata ſpes, & lucrum putatur mori. Quiſquis in Mundo viuit inuulneratus, aſſecla Spiritus Sãcti nõ eſt. Amore ſaucios, & charitate languẽtes Spiritus Sanctus amplectitur.

20

Beatitudo ex amore Dei.

ARdere Deo beatũ eſt: ardor enim Dei, ardor amoris eſt. Igne, quem miſit in terram Deus, corda concalent omnium, qui beatitatis non ſunt expertes. Diſſoluntur in lachrymas, & ſemper amplius perpurgari amabili concupiſcunt incendio. Irrequietos iterant gemitus, & ad oſcula amati Numinis cõuocari præſtolantur impatienter. Flagrant, æſtuant: amant, & vigilant: amore concreſcunt, & gaudent: labori non cedunt, & difficultatis conſilium non admittunt: ſuperna petunt, & terrena faſtidiunt: futurum præſentiunt è flammis imperium: ſuccenſuram ominantur ex æſtu felicitatem.

21

Amor Dei merces eſt

PLena merces eſt amor. Plenitudinem gratiarum, qui amat, aſſequitur. Fidei fortitudine præſtat, & omnia vincit, vt mors: morum puritate reſplendet, & micat, vt fax: operũ pulchritudine excellit, & olet, vt flos. Laborat, & ſilet: ſuffert, & gaudet: lãgueſcit, & ſperat. Non timet à frigoribus niuis, quia conflagrat charitate. Non metuit paupertatis opprobrium, quia nunquam derelictus eſt iuſtus. Nullis agitatur incommodis, quia Deũ diligenti pax multa eſt. Oneroſum nil ſentit: inæquale nil putat: è forti dulcedinem haurit: in vinculis inuenit libertatem. Properat, volat, & ſurſum ſemper aſpirat. ſcit progredi, ſed regredi neſcit: Petit regnum, quod intus habet; quærit Deum, qui ſecum manet.

Supe-

22

Super mel dulcis eſt Spiritus Domini.

DVlcis eſt ſuper mel Spiritus Domini, qui licet è petra diffundat mel, gratiæ ſuauitatem elargitur è cœlo. Hauſtu mellis quantumuis illuminet oculos, Sanctorum ſplendoribus ſanctificat animam. Dulcedinē in benedictionibus præbet, qua nouus ætatū incipit ordo, & maledictionis iniuriam elementa dediſcunt. Non defluit amplius aduerſorum influxuum ab aſtris amaror, & remisſiónis, & indulgentiæ in terris vocabula reſonant. Dulceſcunt iam colles, & montes, & procul è mundo ablegatur aſperitas. Dona Spiritus Domini ſunt vbique domeſtica: nullibi prauitatis remanſere veſtigia: vndequaque pietatis abundant officia.

23

Sine Spiritu Sancto vana ſunt omnia.

DIgna vel riſū, vel planctu quæcunque in terris Sancti Spiritus vmbra carent. Vanitatem omnia ſonant, quæ Sancti Spiritus aura non tument: Humana ſcire quid prodeſt, cùm Sanctorum ſcientia latet? Quid regnis præeſſe iuuat, cùm cœli non expectatur hæreditas? Quale lucet in purpura decus, quando corrumpitur tineis? Quæ ſecuritas eſt in auro, quando latronum inſidijs ſubiacet? vidimus ſuperbam regum euanuiſſe memoriā, caruiſſe diuites obolo, ſapientiam deſiuiſſe in ſtultitiam, forteſque ſolo iacuiſſe proſtratos. Crebrò inter roſas latuit ſerpens: crebrò ſucceſſit ſerenitati tempeſtas. Sæpe iucundi-

tatis calices coronauit cupreſſus: matutinam ſæpe lætitiam veſpertinus obruit luctus. Durabile in Mundo nil eſt: cedunt cuncta fortunæ. Solum eripit ſe fortunæ, qui Spiritui Sancto ſe credit.

24

Spiritus Sanctus interpres eſt Patris, & Filij, & pignus noſtræ hæreditatis.

QVantum petimus precibus, tantum vel ad votum, vel ad profectum impetramus à Spiritu Sancto. Spiritus Sancti accedēte fauore irrita noſtra vota non cadunt. Patris, & Filij Spiritus Sanctus interpres eſt. Sicut Pater, cui vult, miſeretur: Filius cui vult Patrem reuelat. Spiritus Sanctus ſingulis, prout vult, dona diuidit gratiarum. Nec Pater, nec Filius feſtinæ Spiritus Sancti facultati repugnat. Spirat, flammeſcit, & volat. Pignus hæreditatis noſtræ eſt, qui è tenebris tranſtulit nos ad lucem, & è filijs iræ, in partem ſortis Sanctorum nos dirigit. Niſi repleremur ipſius lumine, ſederemus in vmbra mortis, & excluderemur à regno: laboraremus in ventum, & noſtram alieni occuparent hæreditatem.

25

Ductus Spiritu Dei in arduis cauſis non caret conſilio.

QVicquid humána ſpes negat, & importuna neceſſitas non concedit, ſæpe ſecreta Spiritus via contingit. in arduis cauſis defluit è cœlo conſilium. Terrenum cùm deeſt, cæleſte nunquam deficit adiumentū. Cæleſtis amor, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filijs hominum, deſtitutum auxilio neminem patitur

tur intueri, & ſpirat, & flat, fideique ſilentio medelam inſinuat. Miſeretur, & parcit: excuſationis occaſionem admittit, & delicta obliuiſcitur vis amoris. Docet pietatis obſequia, & renouat gratiam ars amandi. Neſcit Spiritus Sanctus non reſpondere dolori, aliorumque cernere cæcitatem, & lumine veritatis non radiare.

25

Filij testis Spiritus Sanctus.

TEſtis Filij Spiritus Sanctus eſt; qui nouit omnia Filij, de Filio perhibet teſtimonium. Filium profiteri nō poteſt, niſi Spiritus veritatis. Affirmatur à Spiritu empta Filij ſanguine ſalutaris Mundi libertas, Sanctorum manium exolutus tenebris populus, euerſum abyſſi regnum, exuta viribus mors. Spiritus teſtificatio pro Filio fertur, cùm peccati, cùm iuſtitiæ, & cùm iudicij mundus arguitur: cùm increpantur increduli, qui veritatem execrationibus abdicant: cùm cæci reprehenduntur, qui triumphantem in cœlo nō intuentur: cùm decantatur eorum impietas, qui principem tenebrarum non exiſtimant debellatum.

27

Lingua Dei Spiritus Sanctus eſt, & monet vnumquemque de morte.

LIngua Dei Spiritu Sanctus eſt, loquitur omnibus, & diuinorum interpretatur arcana. Omnes docet veſtigia veritatis: vniuſcuiuſque intonat auribus, morietis. tanquam aliò migraturus vtere mundo. rura, honores,

 opes

opes, diuitias, regna, potentiam deſeres tandem, & aliud tecum, præter animam, non aſſumes. Quid ages cum illa, ſi fuerit nequam? nulla ſpes reſtat: pietatis clauſum eſt oſtium: tormenta ſunt præſto: deuoratrices in promptu ſunt flammæ. Cōfuſionis indutus opprobrio fruſtra natalis tui maledices initium, cunctorum actorum ſuperſtes inanis eſt dolor. Eia ergo cogitationes pacis nunc cogita: annos æternitatis in mente nunc habe.

28

Nemo poteſt abſcondi à calore Spiritus Sancti.

QVisnam poteſt à Spiritu Domini fugere, ſi Spiritus Domini quocunque fulgeicit in loco? virtute Spiritus Sancti rorant deſuper cœli, & è nubibus depluit iuſtus: panditur terra, & Saluator apparet: dulcedo manat è montibus, & venti beatam referunt ſpem: ceſſant per orbem vincula, & libertas elucet: tranſit hyems, abit imber, & putationis aduenit tempus. Aut mentitur, aut fallit, qui eius non confitetur ardores. Excitat omnes ad gratiam, profert omnibus arma lucis. Nuda oculis Dei hominum peccata conſiſtũt. Tenebris ſuis cælare delicta non poteſt nox. Vt occultentur errores, latebras terra nō habet; vt reatus abſcondat, aer nebulas non expandit. Arcana patent abyſſi, mariſque latibula præpanduntur. Commaculant peccata cœlum, & rerum vniuerſitas mœret.

29

Via Spiritus ignoratur.

VIa Spiritus, quæ viatorem inuitat immaculatum, nemo ſcit. Inueſtigare viam quis nouit amoris? Amor, qui ſemper eſt liber, vno itinere coarctari non patitur. Nemo ſcit vndè veniat, aut quò vadat, ſed vadens, & veniens vbi vult, ſpirat, & gratuitò Paradiſi iucundiſſimos afflat odores. *D*e ſe nil exiſtimet ſalutare, qui viam Spiritus non cucurrerit. Illic, qui otio glorietur, non eſt. Via virtutis deſides non admittit: illic pes ille ſuperbiæ, qui vago pererrat curſu, veſtigia nõ relinquit. Ab illa via declināt iniqui. Greſſus illic imprimuntur iuſtificationum, & quilibet greſſus redolet gratiam. Nullus illinc tenebrarum proſilit horror, veruntamen emicat vndique lux, quæ omnem illuminat hominem, & miſericorditer præparat electos ad gloriam. Felix ille viator, qui fidei, & charitatis refertus viatico, in hac Mundi peregrinatione egeſtatem offendere non formidat, ſi Angelorum veſcitur dapibus: euaſiirũ ab omni lapſu ſe ſperat incolumem, ſi ſecum agnoſcit ſalutis authorem.

30

Spiritus Sancti non patet oraculum.

QVod per legem non licet, Spiritus Sanctus permittit. Oraculum Spiritus Sancti non patet. Neſcitur vnde veniat, aut quò vadat. Genus pietatis eſt patrios obliuiſci penates, & conuerſationem in cœlis expoſcere. Non errat, nec fallitur, qui paternam contẽnit hęreditatem; quam oculis non intuetur, expectat. Eripitur è mundi calamitatibus, &

gau-

gáudia æternitatis inquirit. Parentes, fratres, vxores odiſſe, arrha diuinitatis eſt. Perenni conſulit regno, qui terram poſſidere nō vult. Humanos affectus excludit diuinus, & quod pertinet ad humanos, diuino non congruit.

31

Quæ cum terra conueniunt, addicta ſunt morti.

VItæ Spiritus eſt in rotis, quia vix ſummis veſtigijs terram tangunt, & tranſeunt. Terræ vita inhærere non poteſt. Addicta ſunt morti quæcunque cum terra cōueniunt. Alas Columbarum, vt requieſcat in cœlo, nō petit, qui radit humum. Opacum, & neſcium lucis elementum eſt terra, & immunditijs abundat, & ſordibus. Non eſt ſine macula tactus picis. Quis in tenebris ambulat, & tenebrarum eſt expers?

32

Probandus eſt Spiritus, an ex Deo ſit.

OMni ſpiritui credendum non eſt. An ex Deo ſit, primò probandum eſt. Eſſe patet ex Deo, cùm à mandatis nec parum aberrat, & ſemper ardoribus æſtuat charitatis. Reſidet Spiritus Dei, vbi cuſtodia viget aſſidua mandatorum, vbi nunquam deficiente charitas fulgeſcit incendio, vbi cor omni tempore verbum eructat bonum, & meliora intrinſecus cælat: vbi mens in altiſſimis habitat, & cogitationibus paſcitur eruditis: vbi gratia renidet in labris, & manus mittuntur ad fortia. Væ Prophetis inſipientibus, qui veluti

Vul-

Vulpes ſuum ſequuntur Spiritum, & nihil vident. Quod natum eſt de Spiritu, Spiritus eſt: odit carnis illecebras, mundi oblectamẽta non ſequitur. Potum miſcet cum fletu, & ſuſpendit in ſalicibus organa. Serit in lachrymis, & charitatis, & pacis expectat fructus. Carnem ſubdit imperio mentis, & ad canticũ Domini prouocat linguam.

33

Lumen, quod à Spiritu Sancto non prouenit, lumen non eſt.

DEgenerat lumen in tenebras, quod à Patre luminum non deſumit initium. Nihil luminis eſt in terra, quæ cõfuſionis antiquæ ſeruat adhuc obſcuritatem. A' Patre luminum oritur lumen illud iuſtitiæ, quo quiſquis ambulat vias rectas, & non declinat ad praua; quo populorum pax viget, & beatitatis futuræ ſpes patet. Idem luminum Pater ex altiſſimis Sapientiæ lumen diffundit, ſine quo delitet veritas, & genus humanum in deteriora prolabitur; ſine quo mundi vanitas non agnoſcitur, & ſummi boni cognitio non percipitur. Vniuerſa nox eſt, & oculos omnium occupat cæcitas, vbi Pater luminum præſens non eſt. Dignitatum maieſtas caligat: honorũ gloria lucis pręſtantia caret.

34

Nulla eſt differentia, vbi vna veritas eſt.

VEritatis vna vis, vna facies eſt: bonum indicare conatur: figurarum diſſimilitudinem damnat: omnium eſt vnum initium, omnium terminus vnus: vna eſt omnium cõ-

poſitio, vna omnium diſſolutio. Contradicit naturæ, qui à cæteris vult differre. Calamitas pauperis ijſdem finibus terminatur, ac gloria diuitis. Pulſat mors æquo pede pauperum, diuitumque tabernas. Nulla eſt hominum diſparitas in ſpeculo veritatis: ibi auorum nobilitas exiſtimationem non auget, obſcuritas generis famam non minuit. Laudatior eſt, qui purior: beatior eſt, qui ſanctior. Menſura meritorum eſt virtus, & merces virtutis eſt ipſa veritas.

35

Temporibus antiquis feliciora ſunt noſtra tempora ob gratiam Spiritus Sancti.

OLim ſi Spiritus grandis contererat mōtes, ſi commotio concuterat terram, ſi late coruſcauerat ignis, ſi tenuis auræ ſibilus flauerat, non erat in Spiritu, non erat in motu, non erat in igne, non erat in ſibilo Dominus. Nunc ob noſtram felicitatē in meliora cōuerſa ſunt tempora, & Dominus ſpirat in Spiritu, præeſt in motu, ſplendet in igne, & voces emittit in ſibilo. Dulcedinē depromit è montibus, conſtituit in terra quietem, conuertit ignem in lucem, & ſibilans aura tenui releuat vniuerſum. Virtutum dona largitur, excitat fontes gaudij, diffundit flammas amoris, & manifeſtat oracula veritatis.

36

Virtute Spiritus Sancti concipit Virgo.

HAbemus nouam à Spiritu Sancto terrā in terra, cùm Virgo neſcia viri fit mater, & hominem induit Deus: cùm agnoſcitur in virginitate fœcunditas, & redolet dei-

tatem

ratem humanitas: cùm mundi renouatur aſpectus, & ſtillant montes dulcedinem: cùm tenebras obliuiſcitur nox, & Angeli concinunt ad cunabula Creatoris. O nos felices, ſi arcanam Numinis gloriam Spiritu Sancto meditamur authore, & quando ſupplicijs mancipari merebamur abyſſi, diuinitatis conſortes efficimur. Seponitur lex doloris antiqui, & felicium ſæculorum nouus incipit ordo. Secreta cœli Sacramenta oculis intuemur, manibuſque quietem interpretamur humanã.

37

Spiritus Sanctus mirabiliter operatus eſt in vtero Virginis.

MIrabilius, quam in vtero Virginis, nũquam operatus eſt Spiritus Sanctus in terris. Quem cæli non capiunt, Virginis cõclulit in vtero, & Virginem, quę virtutum varietate fulgebat, plenitudine gratiarũ adauxit. Pręter terreni hominis ordinem, veram produxit cæleſtis hominis formam, & fidei Sacramento conſtruxit, quod naturæ principijs non reſponderat. Largitus eſt gloriam matris, & virginitatis honorem non expulit. Munera benedictionis exhibuit, & cõmercium excitauit diuinitatis, & carnis.

38

Diuinus Amor impulit Filium Dei, vt ſerui formam acciperet, & Mundum vindicaret in libertatem.

ESt ne aliquid vltra, quò progredi poterat Numinis Amor? Ipſum Dei filium humana ſub carne captiuum ſiſtit in Mundo,

vt Mundum vindicaret in libertatem. Actum eſſet de mundi ſalute, ſi Dei Filius morti nō extitiſſet obnoxius. Vſque adeò primæ culpæ labis excreuiſſet exitium, vt vniuerſus terrarū orbis funditus interiiſſet. Ipſi incolumitas noſtrum omniū aſcribatur: ipſi cæleſtis hęreditatis conceſſus nobis ōnibus honor referatur acceptus. Ex ipſius opprobrijs hauſimus gloriam: ex ipſius ſpinis excerpſimus flores, ex ipſius plagis libauimus flumina gratiarum.

39

Propter amorem hominis Deus factus eſt homo.

NEminem fugit, quanta ſit amoris, quid mirum agat potentia charitatis: triumphat de Deo, & Deum de cœlo delabi compellit in terras. Maieſtate exuit Deum, ſeruili ſupponit conditioni, & geminam Numinis, hominiſque naturam hypoſtaſi colligat vna. Sonant amorem vagitus in ſtabulo: olēt lachrymæ charitatem in cunis, vt nos morti iampridem addictos è faucibus mortis eripiat. Noſtram ſuſcipit non modò cauſam, vt ſponſor, ſed etiam induit perſonam, vt reus. Pati vult paſtor, ne quid oues patiantur ſiniſtri. Offert vnus ſe ferro, ne tota gens pereat.

40

Labor, & Amor habitant ſimul.

VBi amor, ibi labor. Labor, qui virtutis initium eſt, amantes animos nutrit. Amor, qui ſudorem non timet, otioſos tolerare non poteſt. Laboris effectus gloriam olet: amoris occaſio gratiam ſapit. Labor optimos

citat

citat, amor prouocat meliores: Non admittitur ad laborem indignus, excluditur ab amore ſceleſtus. Mentem, quę vacat amore, occupat mors: manum, quæ laboris eſt expers, egeſtas aggreditur. Innocentiæ cuſtos eſt labor, ſcelerũ vindex eſt amor. Habitant ſimul labor & amor. Labor amare tunc cępit, cùm prodijt è tenebris lux. Amor laborare tunc didicit, cùm ferri voluit ſuper aquas.

41

Cùm ignis Spiritus Sancti in terram effuſus eſt, renouata eſt facies terræ.

OPus, ad quod exierat è cęlo ſapientia Dei, compleuit omne, cùm Sancti Spiritus ignem effudit in terram. Terræ facies omninò renouata non eſſet, niſi è Sancti Spiritus igne Spiritum reſumpſiſſet. Iam data eſt nequitiæ fuga, & pulchritudo ſanctitatis illuxit. Rediere virtutes, & turba vitiorũ exceſſit. Nox vltra non erit, & lucernæ lumine non egebunt. Amplius nemo eſuriet, amplius nemo ſitiet. Iam toti terrarum orbi delapſa eſt affatim gratia. In ſpe glorię filiorum Dei gloriari conceditur vnicuique, & aquas gaudij de fontibus Saluatoris vniuerſis haurire licet.

42

De die Pentecoſtes.

IAm hyems tranſijt, imber abijt. Beatos è cœlo diuinus amor diffudit ignes: quis timebit amplius à frigoribus niuis? Diſcunt iã Domino benedicere frigora, & gelu. Æſtas amoris flammeſcit in terra, & flores honeſta-

tis apparent. Nil ſiniſtri expectatur in poſterum. Tutatur ſpes hominum tempeſtas ignita linguarum. Sicut pluuia ſtillat doctrina ſalutis: fluit, vt ros eloquium gratiæ. Expromere nemo formidet conceptã in corde lætitiam: indulgentiæ tempus eſt: columbæ vox ſonat pacem. Captantur omina ex ignibus purioris vitæ, felicioris imperij.

43

Spiritus Sanctus apparuit in forma linguarum ſuper Apoſtolos.

POſtquam ope Spiritus Sancti orta eſt in terris ex vtero Virginis veritas, decebat eundem Spiritum Sanctum, vt loqui de veritate liceret hominibus, in linguas è cęlo deſcendere. Hominum linguis loqui de veritate non conuenit. Mendax eſt omnis hominum lingua, cùm neſcia lucis verſatur in tenebris. Vera lux veritas eſt, quæ nequit abſcondi, cui tenebræ nec propinquant, nec obſtant: iuſtitiæ cuſtos, nec tempori cedit, nec impetu frangitur: rutilat incorrupta, & ſalutis præmonſtrat iter: plena gratiæ vndique pacis afflat odores, & nitidiſſimo charitatis coruſcat affectu.

44

Spiritus Sancti flamma ſuccenſi quid agant.

QVid ſit Sancti Spiritus flamma ſuccendi, in Apoſtolis patet; qui ſtatim humanitatis obliti, diuino rapiuntur amore, Dei meditantur virtutem, & cœli manifeſtant arcana. Felix incendium, quo ſordium purga-

tur

tur origo, & cæleſtis aſſumitur vigor. Parũ putant pro nomine Ieſu vltimas mundi peragrare prouincias, & cuncta pęnarum deuorare tormenta. Faſtidiunt terræ delicias, & per gladios, & per cruces, & per aquas, & per incendia ſoli quærunt vniri Deo: nequeunt conſolari, niſi ad optata perueniant: amari à Deo non credunt, quovſque diuinum videre non mereantur aſpectum.

45

E victoria verbi donum linguarum.

INſigne victoris eſt dona largiri. Vicit diabolum Chriſtus, vicit mortem, & hominibus, quos replet Spiritu Sancto, dat dona linguarũ. Ante replendi ſunt Spiritu Sancto, qui victoris magnalia Dei ſunt loquuturi. Plenitudinem Spiritus Sancti, & gratiã eloquentiæ impartitur triumphator æternus. Auri, argentique talenta diſtribuant, qui quantumuis aliorum victores, ſuis ſemper ſenſibus victi iacent. E victoria verbi, alia, quàm dona linguarum, expectari non poſſunt. Victoriæ Chriſti, qui caput Eccleſiæ eſt, plaudi conuenit ſono linguarum.

46

Apoſtoli ſtatim linguis loquuntur innumeris.

APud Pythagoram diſcipuli taceãt quinque annis: in ſchola Spiritus ſancti ſtatim proſelyti linguis eloquantur innumeris. Qui noſcunt omnia, eſſe muti non poſſunt. Opus ſilentio eſt, quando veritas latet: vbi verò manifeſta fulgeſcit, illicò multiplicandæ ſunt linguæ. Veritas à luce non differt. In

aperto nequit abſcondi lux. Vario laudum eloquio ſalutanda lux eſt. Ortum ſurgentis Auroræ quando viderunt aues, quin prorupiſſent in cantum? Admirationem lux parit: veritas facundiam docet.

47

Spiritus Sanctus dat eloquij gratiam.

PRæſtat Spiritus Sanctus, qui ſcientiam habet vocis, eloquij gratiam. Purum ſermonem infundit, vbi animum inuenit purũ. Nudam eſſe ſcit veritatem, & ornatu ſermonis non gaudet. Qui à columba ſimilitudinẽ mutuatur, in ſermone non diligit fucum. Interpres animi eſt ſermo, qui quò purior, eò pulchriorem prænunciat animum. Quicquid intus ſilentio clauditur, loquela fit palàm. Totus homo è ſermone cognoſcitur. Inſcius fraudis non eſt, cui verſuta locutio. Fouet iniquitatẽ, qui loquitur vana. Exprimit mollis ſermo laſciuiam: indicat vox demiſſa ſtultitiam. Maledicentiam garrulitas parturit, eructant inſaniam celeriter verba prolata.

48

Quid ſignificent linguæ igneæ.

VIgilandum, amandum eſt nobis, igneæ Sancti Spiritus linguæ ita nos docent. Linguarum ſonum quis audiet dormiens? quis tàm gelidus à tanto amoris incendio non diſcet amare? Sponſi nuptias ſomno correptos intrare non decet. Somnus, qui mortis eſt frater, neminem duxit ad vitam. Conſtitutũ amantibus eſt regnum Dei. Amor, cui nihil obſiſtit, ad cœli delicias viam præparat expe-

ditam. Cœleſtium ciuium character eſt amor. Portio ſupernorum eſt vigiliarum perennitas. Vigilijs coniunctus eſt amor, & vigiliæ ab amore non diſtant. Operoſus eſt amor, & lentos excludit; quia alit liuorem inertia. Gaudent labore vigiliæ, & meliores inuitãt; quia amica proborum eſt operoſitas. Neceſſe eſt abſque dubio, vt amet, qui vigilat, & qui non amat, omninò vigilare non poteſt.

49

A linguis igneis apprehendenda ſunt verba lachrymarum.

VTinam, ſi ad cantum galli non fleuimus, ad vocem Columbæ fleremus, & quas non exegit lachrymas timor, exigeret amor. Si genis aſpeximus ſiccis hyberno ſub ſidere laborantem in cruce Chriſtum: in imbre linguarum ardentium candicantem Spiritus Sãcti Columbam ſub æſtiuis caloribus abſque pluuia lachrymarum intueri non licet. Quicquid gelu hyemantes in corde concepimus, æſtatis incendio liquefáctum erumpat per oculos. In liquorem abire diſcamus ab igne, lachrymantium verba apprehendamus à linguis. Nunc oportet inebriari nos lachrymis, quæ veniam comparent: nunc eloquia nos decent ignita, quæ innocentiæ ſonent amorem.

50

Aduentu Spiritus Sancti promulgata eſt mundi libertas.

SEruitutis antiquæ iugum nuncquis non aſſeret fractum, ſi multitudine tot linguarum exauthoratus eſt mundus? Primæuã profectò

fectò adeptus eſt libertatem, & adhuc ſi quia vincula ſentit, illa vincula ſunt amoris. Mirifica res amor eſt, qui cuncta vincit, & æquat, vt mors. Suſcipit onera, & non grauatur: pati non putat, cùm patitur, regnat, cùm ſeruit: ſi coarctatur, eſt liber. In labore quieſcit, dulcedinem in amaro nanciſcitur. Semper eſt velox, ſemper eſt potens. Non imparem niui adhibet lanam, perficit in infirmitate virtutem.

51

Ex elementis non conſtat, qui non molleſcit ad ignem Spiritus Sancti.

DVrior lapide, crudelior ferro, qui tàm ſanctum non molleſcit ad ignem, qui tàm ſuaui non dulceſcit ardore. Igni haud reſiſtit lapis, & frangitur: ferrum cedit ardori, & flexibile tenereſcit. Sæpe viſi ſunt lapidũ montes ignis contactu fumare. Quis fortaſſe non nouit, vbi eloquia Domini inſonuerunt ignita, ferreos confringi vectes, ferreaſque confringi catenas? Ex elementis ille profectò non conſtat, ſi cui parent elementa, non paret. Elementorum rex, ignis eſt, qui potentia mutuatur à cœlo, & tanti Numinis repræſẽtat imaginem.

LIBER SECVNDVS.

52

Diſtributor eſt omnium donorum Spiritus Sanctus.

DOnorum omnium ſpiritus ſanctus eſt diſtributor, vbi vult, ſpirat, & imper-

ſcru

ſcrutabili via largitor eſt gratiarum, neque qui plantat eſt quicquam, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Nil vnquam virtutis ſibi ſine numine aſciſcit humanitas: Niſi de infirmitatibus, de alio gloriari non poteſt. Vitam inchoat lachrymis, & annos enumerat cruciatibus. Non tegitur tot frondibus tellus, quot induit ærumnas infantia. Tot procellas non parit aer, quot diſcrimina iuuentus aggreditur. Æui maturitas acerbos offert dolores, & calamitatum repræſentat autumnum. Senectuti, cui par eſt hyems, miſerijs adoperta, non niuibus, fortiora non deſunt tormenta.

53

Lumen, & tenebræ ſimul habitare non poſſunt.

LVmini proximus longè eſt à tenebris, & tenebris proximus longè eſt à lumine. Certum eſt malè agere, qui lucem odit, ſi iuſtorum ſemita lucis inſtar coruſcat, impiorũ tenebroſa exhorreſcit. Contraria ſunt lumẽ, & tenebræ, & vna ſimul habitare non poſſũt. Imago tenebrarum eſt nox, imago luminis dies. Tenebris non amotis nemo nouit fulgere lumen, ſi ſtatim ac lumen ingreditur, tenebrarum operatur egreſſum. Nunquam didicit lumen tenebrarum iniuriam ſuſtinere, ſi adhuc tenebræ lumen omninò non comprehenderunt. Patet in tenebris raro ſpes lucis. Solummodò ſperat poſt tenebras lucem, qui tenebrarum catena ligatus non conticet, in tenebris non perambulat, nec tenebras ponit lucem.

Nos

54

Nos volumus, Spiritus Sanctus perficit.

NOſtrum eſt velle, Spiritus Sancti perficere. Eueſtigiò erramus à via, ſi Spiritus Sancti nos aura non ducit. Caſus, diſcrimina, lapſus ope humana præcauere non poſſumus. Misera eſt humanorum conditio. Decipimur odore virtutis, & in vitia labimur. ſæpe dolorem haurimus è gaudio: putamus interdum colligere roſas, & obruimur ſpinis. O quoties tenebræ per ſemitas lucis intrant ad cor, & in meridie peſtilentem offendimus noctem! Quando nauigationi mortalium Spiritus ſanctus non aſtat, accidit in portu naufragium, & amittitur ad anchoras merx.

55

Non ducti flamine Spiritus Sancti vana vident.

VAna vident in terris, diuinantque mendacium, qui Sancti Spiritus flamine nõ ducuntur. Veritatis lucem non intuentur, & in tenebris ambulant. Ambitionis ſtudio phylacteria dilatant, & neſcia ſpei corda reſtringunt: magnificant fimbrias, & præcepta deprimunt legis. O cæci, & inſani! expurgant quod foris eſt calicis, intus immunditiam augent. Mundi non meditantur extrema, & ſõnijs acquieſcunt. Opum inexplebili flagrant ſiti, & domus Dei, quam habent in pectore, domus orationis non eſt, ſed ſpelunca latronum, vbi aurum, & argentum adorant. Primatus amore decepti contemnunt alios, tumidique clientum corona lætantur. Illorum

gaudium inſtar puncti. Mœrebunt, peribunt. Semper mendaces poſtremum ſe tradent ventorum arbitrio, & veluti ſuper arenas locata fraudum ædificia corruent.

56

Inſpiratio Spiritus Sancti intelligentiam dat.

SApientiam multitudo non docet annorũ, ſed inſpiratio Omnipotentis intelligentiam dat, & cor illud lapideum aufert, quod carens humore ſemen verbi bonum non alit ad fructum. Lapide impietatis amoto virtutũ radices germinant, & flores pollicentur honorum. Non habitant vnà virtus, & vitium, odit virtus veſtigia vitiorum: execratur vitium ornamenta virtutum. Infirmitatis humanæ conſcium tempus eſt, & quotidie nanciſcitur imperfectum. Litera occidit, quò plus abundat, Spiritus eſt viuificare.

57

Sapientia conſiſtit in veri cognitione.

NOn eſt in literis ſapientia: in veri cognitione conſiſtit, & animi ſanitas eſt. Ignitum parit eloquium, quod in cordibus, non in paginis clauditur. Opes non ſequitur, & ſub ſordido pallio ſæpe latet. Sole ſpecioſior eſt, & diuitiarum ornatu non eget. Libertatis amica, ni rationi, nemini ſeruit. Simplicitati coniũcta vacat à metu, & cupiditatum ardore non flagrat. Rerum initia meditatur, & vltima Mundi commentari non deſinit. Studet vbique virtutum ſemina ſpargere, & vitiorum omninò radices euellere.

Gau-

Gaudet amari, & omnes, qui ſe concupiſcũt, amore præoccupat.

58

In donis Spiritus Sancti habetur vera philoſophia.

INuenire ſophiſmata, diſceptare de verbis, philoſophia non eſt. Philoſophia, quæ vitæ lex eſt, animi medicina, & virtutum inuentrix, in veritatis ſimplicitate verſatur, & Spiritus ſancti muneribus alitur. Neminem reijcit, omnibus patet. Quando cauſas ſcrutatur altiſſimas, & caſus præcauet fortuitos, ſapientiæ ſpeculum exhibet. Quando errorũ tenebras fugat, & rerum diſſoluit ambages, intellectum prouocat ad volatum. Quando dirigit actiones, & agenda, & omittenda demonſtrat, conſilij ſpiritum excitat. Quando nihili facit aduerſa, aduerſariorumque molimina remouet, fortitudinis vtitur ſcuto. Sanctorum ſcientia, qua corrigitur mens, ſuſtinere docet, & abſtinere: mortalitatem exuere, & incorruptionem induere. Sacramento pietatis, quo colitur Deus, multiplicat in animo pacem, conſtituitque in voluntate iuſtitiam. Timoris agnitione, ſine qua ſapientię non agnoſcitur lumen, peccati labem expellit, & doctrinam dilectionis interpretatur. His tantum, & non verboſorum ineptijs philoſophia conflatur. Fruſtra vniuerſale perquiritur, cùm ſingulare non intelligitur. Cùm latent concreta, nequicquam quæruntur abſtracta Si meliora mundo placerent, dona ſolummodò Spiritus Sancti Mundus optaret.

In

In donis Spiritus Sancti ſtat optima pars: illorumque donorum poſſeſſio ſempiternam conſtituit fauſtitatem.

59

Vacuus eſt, qui donis Spiritus Sancti plenus non eſt.

ANte conſpectum Domini ſemper eſt vacuus, qui Spiritus Sancti muneribus plenus non eſt. Nil refert manus habere plenas, quando vacuitas animi animum præmonſtrat ingratum? Animum Dominus intuetur, non manus. Obedientia potius delectatur, quàm victima. Pretioſior omnibus bonis animus eſt: cùm candicat purus, ſedes eſt ſapientiæ: cùm terrena non ſapit, æternorum interpres eſt: cùm conuenit rationi, conſilij locus eſt: cùm vigil improbitates excludit, fortitudinis arma pertractat: cùm ſequax eſt veritatis, in ſcientia Sanctorum exultat: cùm pietatis ardore languet, vt gemma ſponſi fulgeſcit: cùm timet, & amat, vt iuſtitiæ corona ſplendeſcit.

60

Qui dono Spiritus Sancti caret, omnibus indiget.

NIhilo abundat indigens ſpiritu. Quid proſunt corporis ornamenta, quando virtutibus animus vacat? Non conſulitur animo, cùm corpus auro, & gemmis ornatur. Fruſtra foris obſequioſa ſtipatur caterua ſeruorum, qui diris intrinſecus cruciatur affectibus. Laquearia domorum aurata non fulgent, cui carceres ſidera minitantur æternos. Humi iacere beatius eſt, & mente frui tranquil-

quilla, quàm lectis accumbere eburneis, & pacis non agnoſcere gaudia. Mundi tentamēta ſunt opes, imperia, dominatus, honores: ſomnia ſunt, latibula vitiorum. Quietem mēti non afferunt, cupiditati metam non ponūt. Inflant animos, & corrumpunt: arrogantiam pariunt, et audaciam. Tollunt ingenuitatis candorem, et probitatis adimunt ornamenta. ſicut vmbra pertranſeunt, et inſtar nauis decurrentis per aquam, veſtigium non relinquunt.

61

Sine conſilio Spiritus Sancti infelix eſt homo.

QVoties conſilij ſpiritus non viget in hominе, funerata eſt illa pars animæ, qua viuere valuerat, vt Angelus. Vt bene agat, intelligere nequit, & verba præcipitationis effundit. Semper aſpicit retrò, & ſi fortaſſis incedit, iniurioſè reuertitur. Omninò nigreſcit, vt hebenum, & dealbari non sperat, vt nix. Vitiorum ſentinam aceruat, & peſtilentiam errorum eructat. Deſidem domi conculcat ętatem, virtutibus nō excolit mētem, labores non tentat, manum non mittit ad fortia. Timet à terra ſecerni, & cœlum meditari non audet. Nihil eſt infelicius homine, cui conſilij ſpiritus non flammeſcit in animo. Promiſſionum capax non eſt, & nomen eius in cœlo ſcriptum non rutilat.

62

Veritates non diminuuntur, & tendunt ad vnum omnes.

QVi diuiſiones fert gratiarum, à filijs hominum diminui veritates non patitur.

Quan-

Quantumuis veritatum ſit auida, plenitudinem donorum mens humana non capit. Vni tribuitur ſapientię munus, alteri fortitudinis prerogatiua conceditur: vni conuenit timor, alteri conſilium exhibetur: vni datur linguarum genus, alteri ſermonum interpretatio. Vnuſquiſque proprium habet donũ ex Deo, alius ſic, alius verò ſic. Vno itinere ad tàm grande ſecretum perueniri non poteſt. Veruntamen veritates tendunt ad vnũ, nec plus admittunt, nec minus. Gaudent ſimplici puritate portas penetrare iuſtitiæ, & confeſſione, qua Dominum venerantur, arcana diuinitatis haurire. Idcircò ſuauitatem odoris æterni labra doloſa non guſtant. Pes ambulans in circuitu ſpiritum comitantem non habet, & metam non tangit optatam.

63

Charitas è Spiritu Sancto.

PRrodit è Spiritu Sancto charitas illa, quæ peccandi maleſanum excludit affectum: illa timoris expers omnia credit, & beatam expectat ſpem: omnia ſuffert, & venturæ dilectionis præparat animam. Illa neſcia lapſus iuſtificationum percurrit vias, & bona petit in terra viuentium:columbę induit pennas, & ſicuti eſt, aſpicit Deum. O quo feruet incendio! ò quã progreditur libertate! Aquarum abundantia non obruitur: literarum perfidia non occiditur. Imperij non inuidet maieſtatem, diuitum gratiam non optat, vniuerſa diſtribuit, nil ſecum retinet, niſi fidem.

64

Timorem, & amorem largitur Spiritus Sanctus.

LArgitor amoris, largitor timoris eſt Spiritus Sanctus, qui temperat amore timorem, & excitat charitatem. Cuſtos mandatorum eſt timor, qui ſtatim fit contumax, niſi amoris ſocietate caleſcet. Mandatorũ cuſtos non eſſet timor, & omninò frigeſceret, niſi charitatis foueretur ardore. Sed charitas vbi tandem perfecta eſt, foras mittit timorem, hominis cor confirmat, mentem eleuat ad ſuperna, vireſque omnes prouocat ad virtutẽ. Cupit, languet, & difficultati non cedit. Ad deſiderata feſtinat, & labori non parcit: Mundi neſcia, cœli conſcia ſpernit, quod videt, & appetit, quod non capit. O quàm ſagax, ò quàm operatrix eſt charitas! glorioſius donũ Spiritus Sanctus non habet; cuius virtute cõſors humanitatis fit Deus, & diuinitatis homo particeps eſt; cuius gratia regnum dolorum occupat Deus, & regno vitæ fruitur homo.

65

Alius eſt timor Dei, & alius eſt timor Mundi.

TImor non ſemper eſt vilis: ſi reſpicit ſæculum, eſt infirmitas: ſi Deum, eſt fortitudo. Deſes ille domi perdit ætatem: fortis hic laborat in gemitu. Animi habenas ille relinquit inertiæ: virtutibus hic excolit mentem. Spectat ad Spiritum Sanctum, qui timor eſt Dei. Inter dona Spiritus Sancti timor Dei numeratur. E Dei timore ſapientia

ſumit initium, quæ habitans in altiſſimis vanas terræ contemnit illecebras; quæ libertati cognata adoptionis ſpiritum induit, & cœli praſtolatur hæreditatem.

66

Salutis calicem Spiritus affert.

LÆtetur timorem Domini concepiſſe qui Spiritum peperit. Cùm filium Dei per adoptionem eſſe ſe noſcit, lætitiamq: immortalitatis comparare cum lachrymis. Enumerat lachrymas hæreditas Adæ, & niſi labor præceſſerit, non acquiritur quies. Præparant in Mundo tranquillitatem anguſtiæ, & mœrore pœnarum properatur ad gloriam. Salutis calicem ſpiritus affert: cùm humanæ naturæ, niſi inſtrumento doloris, ſuccurri non poſſit. Humanæ naturæ, cui paratus eſt in delicijs lapſus, inter ſupplicia redditur cæleſte commercium. Seruiunt blandimenta delictis, & fortia ſunt amica virtutibus. Fides probatur aduerſis, virtus laboribus, iniurijs patientia.

67

Locuples eſt modeſtia apud Dominum, quia finis modeſtiæ, timor Domini eſt.

IN incorruptione ſpiritus orandus eſt Dominus, apud quem nemo diues, modeſtia locuples eſt. Cernitur habitus animi in corporis motu. Animi quandam vocem motus corporis exprimit. Labes, quæ latet in animo, ſæpe manifeſtatur inceſſu. Leuitatis, aut grauitatis veſtigium ineſt in greſſibus. Finis modeſtiæ, timor Domini, quo nihil eſt glorioſius, nihil eſt ſapientius. Qui timet Dominũ,

præter vitium, nihil timet. Timor Domini expellit peccatum, replet gaudio vitam, & benedictionum copiam elargitur in fine.

68

Donis Spiritus Sancti cuncta fugantur vitia.

OMni temporis puncto ſecurus victoriæ prouocet ſenſus ad pugnam Spiritus Sancti muneribus loricatus. Turpium cogitationum inſidias non formidat, qui ſapientiæ munitur armis. Aciem vitiorum intellectus diſciplina profligat. Hoſtium vel odores cōſilium vetat. Induta mens fortitudine expugnat oculorum affectus: auara cupiditas dimicare non audet aduerſus ſcientiam ſanctitatis. Quis neſcit pietatis robur, cùm ſcelerum incurſus expellit? Quę non adeſt fiducia, vbi coronas præparat timor Domini?

69

Spiritu, & fide ſuperantur ſerpentis inſidiæ.

GLadio Spiritus, & fidei ſcuto parandus eſt Chriſti miles ad pugnam. Communis hoſtis eſt ſerpens, qui gladio Spiritus procul abigitur, eiuſque ſagittæ ſcuto fidei refelluntur. Pendet è Spiritu, & fide victoria. Maxima vis eſt in ſpiritu, plurima ſpes eſt in fide. Serpentem, quem ſpiritus ferit vulnere ſeptiformi, fides vinculo ſubdit ineſtricabili: ſpiritualis gladij ſonū ſi ſerpēs audierit, fugā arripit, & cæcas ſe claudit in tenebras: ſi radios aſpexerit ſcuti, veneni robur amittit, & luce obſtupefactus horreſcit. Quicunque igitur aduerſarij ſuccūbere nequit inſidijs, gladium

dium ſpiritus, fideique ſcutum aſſumat. His tantum munitus armis victor extiterit. Seruatur victori corona, & victor ius habet ad regnum.

70

Qui Sancti Spiritus ſequax eſt, voluptates non amat.

VOluptatum amator Sancti Spiritus ſequax non eſt. Quis poteſt Dei filius fieri, à diſciplinæ ſtudio feriatus? Argumentum virtutis voluptas haud eſt, ſi viriliter agere nequit, qui voluptatibus effœminauerit animum. Abeſt virtus à domicilio voluptatis. Semper fallax voluptas eſt, cognata faſtidio, finitima luctui. Aut errores amplectitur, aut pergit ad ſcelera. Honeſtati contraria, vt labes decoris opprimenda eſt. Infamiæ obnoxia, vt peſtis ſenſuum expellenda eſt.

71

Corda caſta, quæ Templum ſunt Spiritus Sancti, fruuntur innocentiæ gaudio.

ABeſt à cordibus caſtis virtutum inimica voluptas. Corda caſta, quæ Templum ſunt Spiritus Sancti, duntaxat admittunt innocentiæ gaudium, cui ſemper eſt comes integritas. O qui apparatus ab innocentiæ gaudio proueniunt gratiarum! germen pullulat illud humilitatis, quod nullum explicans florem in terris, latè floreſcit in cœlo. Fortitudinis donum conſurgit illud, quod opera tenebrarum expellens, coronam pollicetur æternam. Rutilant vndique lumina charitatis, quæ cupiditates extinguens omnes, ſecum nil retinet, niſi Deum.

72

Caſtis, & innocentibus dexter in omnibus adeſt Spiritus Sanctus.

DExter in õnibus Spiritus Sanctus aſtat, cui zona virtutis præcincti ſunt lumbi, & lucernę arden tes,teſtimonium innocentię, fulgent in manibus. Tota corporis cauſa,quę pendet á lumbis, in tuto eſt,cùm lumbi ſubiacent baltheo caſtitatis. Nullæ criminum tenebræ reprehenduntur in actionibus, quoties opera lucis exercent manus. Caro præceptis paret, & non rebellat: animus meditatur in lumine lumen. Gaudium eſt membra ſuppoſuiſſe ſupplicijs: gloria eſt pompas ſæculi reſpuiſſe. Nullibi timor eſt ſeruitutis, vbique libertas.

73

Nec gaudium, nec ſolamen, vbi Spiritus Sanctus non adeſt.

NVlla lætitia, vbi Spiritus Sanctus non ſpirat gaudiorum largitor. Nullum ſolamen, vbi Spiritus Sanctus non adeſt omniũ conſolator. Quis dies vnquam potuit eſſe feſtus, cùm ſine Spiritu Sancto vera non oritur lux? Gratia Spiritus Sancti non permanente ſemper eſt reditura calamitas. Vertitur in opprobrium gloria; tranſit in contumelias honor. Nomen deficit amicitiæ, fraterna charitas euaneſcit. Fruſtra pertentat animos ſpes fauſtitatis. Cœlum fit æneum, & terra dureſcit, vt ferrum. Multiplican tur ærumnæ, ſequiturque malorum improuiſa neceſſitas. Teſtor, vos infelices, Columbæ vocem non audientes, qui quantumuis dignitatum inſignibus

bus decorati, vitam trahitis inquietam, & in op bus enumeratis anguſtias, & ſub purpura agnoſcitis pondera catenarum.

74

Mundus Spiritum Sanctum non accipit.

SPiritum Sanctum Mundus, qui nõ cognoſcit, non accipit; quia locum præbere nõ poteſt veritati mendacium. Quicquid nitet in Mundo, mendax; & fallax eſt. Mentitur mũdi felicitas: fallit mundi fiducia. Qui docet omnia Spiritus, bonum docet in Mundo ſeruare depoſitum. Facta carnis mortificat, & vitam largitur. Errorum tenebras fugat, & plenitudinem patefacit gratiæ. Vbi ſpiritus, ibi vita viget æterna. Vitę enim æternæ operator eſt ſpiritus. Qui verò ſequax eſt Mundi, Mundoque ſe iactat obſtrictum, inter mortuos viuit, vt mortuus, & ſpiritus, qui lumẽ eſt vitæ æternæ, cum ipſo non manet.

75

Non placet ſummum bonum, cui dona Spiritus Sancti cordi non ſunt.

PLacebit ne ſummum bonum, cui Spiritus Sancti dona cordi non ſunt? Deeſt cognitio ſummi boni, vbi ſapientiæ non perſpicitur lux. Summi boni nõ intelligitur ratio, ſi deficit intellectus acumen. Electio ſummi boni conuenit cum conſilio. Summi boni doctrina non fulget, quando animi fortitudo non præualet. Vt ſummi boni concipiatur opinio, ſcientia quæritur. Summi boni gratia caret, qui pietatis officia neſcit. Ad ſummum bonum non datur acceſſus, cui corona timoris

ris caput non cingit.

76

Semper igneſcit, qui Spiritum Sanctum colit.

COlit Spiritum Sanctum, qui Spiritus Sancti ſuccenditur igne. Qui rigat, qui congelat, nec Spiritum ſanctum colit, nec eius miniſter eſt. Quare Spiritus Sancti miles dicetur, qui ſub eius vexillo nō militat? Spiritus Sancti vexillum eſt ignis, & igne munitur, qui Spiritus Sancti militem eſſe ſe iactat. Triumphum in capitolio cœli victor nō aget, niſi qui refertus hoc igne propugnacula tenebrarum euertit, & molimina ſenſuum omninò deſtruxerit. Ex hoc igne defluit aurum illud, quod triumphantium comas coronat. Proſilit ab hoc igne lux illa perennitatis, quæ nomina, & geſta Sanctorũ illuſtrat. Spiritus Sancti cultor ſemper igneſcit, imitatur in omnibus ignem, & ſine ſplendoribus nunquam eſt.

77

Amor comparatur amore.

SPiritus ſancti nemo fit templum, qui conſtanter amoris igne munitus non ſit. Amor comparatur amore. Quis poterit Stellæ donis impleri, qui vel imaginatione, vel ratione Stellæ non conformetur influxibus? Animus ſæculo conformatus, cæleſtibus non inhiat deſiderijs. Opes, prædia, ditiones volatum retardant ad ſidera. Cum tenebris lux non conuenit. Quicquid fulget in Mundo, horror, & tenebræ ſunt: ſolum, qui reſpuit, quæ ſunt Mundi, filius lucis eſt, & Spiritui Sancto perpetuam præparat manſionem.

Viuus

78

Viuus dici non meret, qui Spiritu Sancto non viuit.

VIui nomen non meret, qui Spiritus Sancti non viuit aura. Beneficia vitæ non callet, & in opera mortis incumbit. Bonis inhiat, quæ deficiunt: honores anhelat, qui prętereunt inſtar fumi. Poculis ſomnum inuitat, qui frater eſt mortis. Luxu libidinem prouocat, quæ interficit animam. Abeſt vita, cùm virtutes non adſunt, & cùm animo corpus nō conuenit. Cur vita dicetur trahi, vbi vitia perſtrepunt, & locum non habet honeſtas? vbi regnat confuſio, & proſternitur diſciplina? E peccato producitur mors, è morte captiuitas gignitur ſempiterna.

79

Sine Spiritu Sancto non acquiritur, nec quies, nec ſalus.

NEceſſe eſt cuilibet ad ſalutem proficiſcenti auræ Spiritus Sancti viaticum. Quoties Spiritus Sancti non afflat aura, ſalutis non appellitur portus. Semper longè eſt à peccatoribus ſalus. Quod initium poteſt eſſe ſalutis, vbi anima eſt grauata criminibus? Nullibi ſpes adeſt aduentus. Aſſurgit aduerſis fluctibus Mundi mare, impedit iter: erumpunt è nubibus calamitatum ardores, & trepidus fit acceſſus. Occurrunt impetu tenebrarum pyratæ, & virtutum deperduntur exuuię. Defæcati duntaxat animi ratem ducit aura Spiritus Sancti, qua ſpirante quietis amæna ſtatio patet, & nemo decidit ſpe: Mundi procel-

cellæ deſiſtunt,& iniqua dæmonum tentamẽta non obſtant.
80
Eius, qui plenus eſt Spiritu Sancto, deſideria complentur.

QVi Spiritus Sancti indulgentiam neſcit, vitæ labores,humanaque mentis anguſtias ad fatorum inuidiam referat; qui tamen plenus eſt Spiritu, adhuc in terris ſolamen expectet, & ſuccumbere morti non metuat, niſi viderit Dominum. Iuſti deſideria duntaxat complentur. Fluctuantem æternò iuſtum quis vnquam vidit, ſi etiam intra piſciũ clauſtra viret naufragi ſpes? Vidiſti tandem,tu Simeon, Domini ſalutare, qui niſi à Deo, ſperabas nihil, & præter Deum, aliud non quærebas. Quod alibi te latuit ſemper, inueniſti oblectamen in Templo.

81
Beatus eſt, qui flagrat igne Spiritus Sancti.

QViſquis Spiritus Sancti ſuccenſus eſt igne, beatus eſt. Ambulat in magnis deuorans ſpecioſa deſerti, *&* ſurſum aſcendit terrenorum onere non grauatus. Deſpiciens terras ſurgit in verticem, & eloquio loquens ignito zeli fauillas vndequaque diffundit. Iugi flagrans in motu auſpicatur ęternitatis imperiũ, & vehementer igneſcere diſcens ab aſtris, cineres obliuiſcitur humanorum. Concipit lucem, qui concipit ignem. Ignis natura innocens eſt, ſordes, aut fugat, aut deſtruit. Vniuerſi principium eſt, & ſecum continet omnem vim.
82

Nil

Nil confert amœnitas loci, vbi non adeſt hilaritas Spiritus Sancti.

SI Spiritus Sancti non adeſt hilaritas, ad animi tranquillitatem amœnitas loci nil confert. Floriditas prati odorum ſuauitate mores non imbuit. Currens riui luciditas, mentis non tollit obſcuritatē. Volucrum cātus ad concordiam ſenſus non aduocat. Vanitati reſpondet aura, deſperationi conuenit ſolitudo. E maris ſinu excitatur doloris immēſitas: increpant radij Solis turpitudinē vitiorum: abundantia fructuum ſterilitatem accuſat operum. Si deambulatur, apprehenditur inconſtantia: ſi ſedetur, inſimulatur inertia. Proſilit è ſermone ſtultitia: verſatur in taciturnitate fatuitas. Spirat omnis deliciarum locus horrorem, cùm gratia Spiritus Sancti abeſt. 83

Diuites, qui dona Spiritus Sancti non habent, opibus, & ſupellectile gloriantur.

IN domibus diuitum, præter opes, & ſupellectilem, aliud mirari non poſſumus. Sapientiæ lumen abeſſe intuemur, & ſempiternam oculis eorum offundi noctem. Comparamus illos iumentis, in quibus intellectus non eſt, & illos aduertimus à prudentia feriatos in impiorum abire conſilium. Neminem fugit, quàm longè ab illis ſit fortitudo, ſi laborum impatientes ad fortia mittere manum neſciunt. Agnoſcunt cuncti illos pietatis honore non tangi, & trepidare timore, vbi timor nō eſt. O miſeros illos, & omni calamitate repletos! Diuitijs ſe iactant affluere, & quaſi

nihili faciunt animos mancipare metallis. Gloriantur auorum ſtatuis, quorum mores non imitati, perpetuæ deſtinantur infamiæ. Oſtendunt aulæa contexta auro, pretioſa cubilia. Famulatus, veſtes, & meliora, quæ in ſapientibus intrinſecus latent, demonſtrare non valent.

84

Compos virtutis, præter gloriam, aliud non optat præmium.

VBique, & ſẽper virtus eſt pretioſa: quãuis neglecta, pretio non fraudatur. Vt gemma lucet in tenebris: vt aurum pollet in luto. Siuè in puteo abiecta, ſiuè in monte exaltata, nec à puteo, nec à monte, vel mali, vel boni quid accipit. Fortunę paruipendit honores, populi flocci facit applauſus. Per ſe ipſa laudabilis eſt, qua nil eſt formoſius, nil amabilius. Superat omnia, ærumnas non horret, vincula non formidat. Mater eſt glorię, & deturpari non poteſt. Suauiſſimum vndique ſpargit odorem, & alienis nunquam ſordibus obſoleſcit. Compos virtutis beatus eſt, & pręter gloriam, aliud non optat prœmium.

85

Spiritus Sanctus amat in homine ſimilitudinem Trinitatis.

NOn amat oculis hominem Spiritus Sanctus. Non intuetur nec vultus deformitatem, nec pulchritudinem: non perſpicit nec paupertatis opprobrium, nec dignitatum inſignia. Amat veſtigia Trinitatis in homine. Gaudet in hominis intellectu radiare veritatis originem, in memoria collocari fidei ſimu-

mulacrum, in voluntate perſeuerare mandatorum affectus. Humana paupertas non impedit diuinitatis amorem. Terrena nobilitas vires charitatis non auget. Qui ſemper amat, deſinere nequit. Suſcipit pauperes, & diuites non repellit. Habenti dat, & non habenti fiduciam non aufert habendi.

86

Non eſt perſonarum acceptor Spiritus Sanctus.

PEerſonarũ acceptor Spiritus Sanctus non eſt. Reges, & pauperes: ſenes, & iuuenes: ſanos, & claudos æquè diligit omnes, æquè præuenit omnes. Dominus omnium, diues in omnibus, qui clamant ad illum. Audit ita paruum, vt magnum: nec iudæos diſtinguit, nec græcos. Opem nemini negat, qui vniuerſorum eſt cuſtos. Lætatur, ſi quos videt in virtutibus progredi: triſtatur, ſi quos cernit à vijs iuſtitię regredi. In corde cuiuſquã, vbi fulget animi candor, ſibi ædificat Templum: in hortis cunctorum, vbi candicant lilia, totos dies paſcit, & cubat. Semper amabilis, ſemper gratus. Ab æternitate ſuauis, & dulcis, veritatis ſcientiam docet, & argumenta proponit amoris.

87

Odit Spiritus opera carnis.

CVm carne Spiritus non miſcetur, vanitatis veritas compos non fit. Non eſt lux particeps tenebrarum, ignis tepiditati nõ congruit. Odit Spiritus opera carnis: vanitas veritatis doctrinam non audit. Vt ſtultitia differt à ſapientia, tenebræ diſtant à luce.

Præ-

Præparat Spiritus vitam, quam caro neſcit. Viam veritas aperit incognitā vanitati. His, qui in mortis vmbra non ſedent, oritur lux: ſatietatis inſcius ignis metam ardori non ponit. Induere incorruptionem ſpiritus docet: virtutum amorem exhibet veritas. Diem lux pollicetur æternum: ignis præmonet rectitudinem, & imperium ſurſum eundi.

88

Non imperat Spiritus, niſi ſeruiat caro.

ACtutum carnis ſubacta potentia eſt, ſpiritus comparata libertas eſt. Imperare ſpiritus nequit, niſi ſeruiat caro. Victoria ſpiritus ſecum fert carnis offenſionem. Exultat ſpiritus, vbi caro laborat. Cupit ſpiritus deuorare ſpecioſa deſerti: caro per prata laſciuiens coronari vult roſis. Ille auidus lucis ad immortalitatem aſpirat: Illa tenebrarum amica corruptioni conſentit. Ille labis impatiens virtutū altiora præſumit: illa veritatis ignara vanitatibus inhiat. Ille puritatis accenſus amore legem intuetur, vt ſpeculum: illa ſordibus inuoluta induit maledictionem, vt veſtimentum. Ille terrarum oblitus manentes ſibi conflat in cœlo theſauros: illa cœlorum expers ſubſtantiam cumulat, vbi ſubſtantia non eſt.

89

Impudica ſodalitas non audit vocem Spiritus Sancti.

VOcem Spiritus Sancti non audit impudica ſodalitas, & præcipiti fertur amentia. Quò ſuadet voluptas, vertit ingenium, & laudes nanciſci arbitratur in vitijs. Abſque cō-

ſilio

filio, ſine ſpe furit, inſanit. Non allicitur prœmio, & virtutũ ornamenta deridet. Non compeſcitur lege, & religionis officia flocci pendit. Cupiditatum impetus ſequitur, & omnis improbitatis aggreditur iter. Labores à ſceleribus captat, & nullam leuaminis, aut quietis inuenit viam.

90

Amicus non dicitur, qui ab amico diuerſus eſt Spiritu.

QVos Spiritus Sanctus non vnit amicos, amici non ſunt. Homini amicus eſſe nõ poteſt alienus à Deo. Magiſtra pietatis amicitia eſt, quæ homines docet amari, cùm Deus amatur. Vbicũque Deus amatur, cõueniũt omnium mores, & omnium cor, & animus coaleſcunt in vnum. Alter alterius ſuſtinet onus, & virtus quæritur, non vectigal. Iactantiæ ſtudia refelluntur, & charitatis affectus admittitur. Addit fidelitas gratiam, & cupiditates moderatur æqualitas. Amicus non dicitur, qui ab amico diuerſus eſt Spiritu. Amici titulũ prorſus amittit, qui proſequitur laudibus in amico, quæ confutanda ſunt contumelijs; qui ad ſalutem non trahit amicum, & Numinis ſtudio humanam non comprobat charitatem. Amicus fidelis, protectio fortis, cuius veritas ſemper auget amoris obſequia, cuius vulnera aliquando sũt oſculis meliora.

91

Amicitia nõ eſt inter ſtultos, ſed inter ſapientes.

INter ſapientes amicitia eſt, inter ſtultos ſocietas. Sanctum eſt amicitiæ nomen, ſed illud

illud ignorat, qui Spiritus Sancti non fruitur ſapientia. Nexu ſatius ſapientiæ, quàm donorũ illecebra generoſus nectitur animus. Donorum effectus labilis eſt, & lubricus: ſapientiæ vis immortalis, & ſempiterna. Amicitia ſapientum fidem ſeruare ſcit, ſuperbiam non admittit, inęqualitatem ignorat, & virtutem quærit, non quęſtum. Munit, vt murus: illuſtrat, vt Sol. Quantò vetuſtior, tantò certior. Pretioſus theſaurus eſt, vitæ medicamẽtum eſt.

92

Solus ſapiens ſcit amare.

Dignus amore Spiritus Sancti ſolus ſapiens eſt; quia ſolus ſapiens ſcit amare. Maximę partes amoris ſunt, agnoſcere obiectum amari, & amato ſeruare fidem: in amato ſpem ponere, & ſui fiduciam denegare: à ſe totum abeſſe, & prorſus in amato quieſcere: cauſas amoris diſtinguere, amoriſque nexum gratijs compenſare: vita potius, quàm amore deficere: prœmium exquirere nullum, niſi amati fruitionem Stultus, qui à ſeruo nõ differt, amoris eſt incapax, quia voluntatis eſt expers. Voluntatis imperio caret, velle, & nolle non habet, inſtar pecudum ſuo trahitur ſenſu, & æquè bonum, ac malum proſequitur. Partus voluntatis eſt amor, à qua gignitur appetens ſemper bonum, & præter illud cogitans nihil.

93

Ad amorem nos inuitat Spiritus ſanctus.

Cvm nos vitiorum errore cæcati virtutũ candori reſiſtimus, & veritatem odimus, tunc in cubiculo cordis noſtrum alloqui-

quitur vnumquemque Spiritus Sanctus, & inquit, ama. Non fallit amor, qui doctor eſt veritatis. Semel ſufficit veritatem amare, vt ſubitò confutetur improbitas. Expers eſt maculæ verus amor. Non recipit turpitudinem, non habitat cum infamia. Ignis naturam ſortitus, lucidus eſt, elegans eſt. Rectam ambulat viam, & ad ſuperas Cœli ſedes aſpirat, vbi ſine ænigmate, ſine ſpeculo ſapientia colitur.

94

Ad Beatitudinem Spiritus Sanctus nos vocat.

EX vmbra mortis in Solem iuſtitiæ Spiritus Sanctus nos euocat. Tandem aliquãdo diſcamus ſine tenebris vitam ducere? Amplius nulla dies lapillo ſignetur nigro. Candidi currant dies, menſes, & anni. Oliteſcãt priorum errorum infelicia tempora, & perpetuæ gaudiorum ætates erumpant. Nobilior rerum nos ſtatus expectat. Petenda nobis eſt cæleſtis illa Hieruſalem, vbi ſempiterna fulgeſcit hilaritas, & aliud quietis viget immutabile genus.

95

Militia eſt vita hominum.

HOminum vita certamẽ eſt. Quicunque fortitudinis, & conſilij Spiritu caret, non laudem victoris, ſed victi contumeliam conſequetur. Hoſtes ſunt vitia, quæ animi propugnaculum audent euertere. Inſidias vnumquodque molitur: vnumquodque conſurgit ad arma. Iaciuntur vndique tela, ſagittæ, lapides, & tentatur ingreſſus per oculos, per aures, per os. Patent hoſtibus oculi, qui non vigilant, & illecebrarũ ſomno correpti ſuc-

cumbunt. Aures, quæ ſeptæ ſpinis inimicorũ machinas nõ reijciunt, occupantur. Os, quod verbo veritatis non præmunitur, & cuſtodia vacat, aduerſariorum incurſu diripitur, expilatur. Non deerit palma victoriæ, cui tela, ſagittas, & lapides fortitudine,& conſilio retundere libet. Perfidiæ lapides retunduntur, vbi galea ſalutis perfulget in capite. Nequicquam fraudum ſagittæ volant, vbi pro muro proponitur charitas. Tentationum tela non nocent, vbi fidei ſcutum opponitur. Fores nunquã impetu reſerantur, quoties illa clauduntur petra, quæ Chriſtus eſt.

96

Ambulamus, vt cæci ſine luce Spiritus Sancti.

SIne luce Spiritus Sancti ambulamus, vt cęci. Cùm abeſt à nobis Sancti Spiritus lux, in animis noſtris nox eſt. Malè diſtinguimus album à nigro, & confundimus vera cũ falſis. Declinamus à recto, & poſt inſanias currimus. Exitus viarum non meditamur, & mundum extremo ſubiacere non cogitamus exitio. E malo tranſimus in vitium. Florenti ætate flores non cernimus honeſtatis, nec premimus galea ſalutis canitiem. Verſari aliquãdo putamus in roſis, & ſemper volutamur in ſpinis. Nec ſinceritatis, nec veritatis veſcimur azimis. Epulamur in fermento malitiæ, & vox corui, non autem Columbæ noſtris inſonat auribus.

97

Nulla mens ſine Spiritu Sancto bona eſt.

VT ſine Sole nulla dies laudabilis eſt, ita ſine Spiritu Sancto bona mens nulla eſt.

Ia-

Iacet in tenebris, & lucem ſperare non audet. E terra ad cœlum eleuari non valet. Nil percipit, quod ſapiat veritatem. Ignorat quē portum petat, & ventum nullum habet propitium. Casu vitam viuit exiguam, & curſum gloriæ ſempiternum non credit. Fluctuat, nutat, laborat. Anceps diſtrahitur in incertum, & facultate conſilij caret.

98

Malæ mentis indicium eſt mutatio, quæ à dextera Excelſi non eſt.

STultè mutatur, vt Luna, qui gratiarū Spiritus Sancti non expertus eſt plenitudinem. Nunc minutus, nunc auctus: nunc feruens, nunc rigens: nunc tardus, nunc velox: ingenio varius, eloquio differens, à labore diuerſus. Meat, & remeat: deſiſtit, & deficit: apparet, & latet. Vna in vocatione non manet, & iuſtitiæ vias non inuenit. In omnem ventum se ventilat, & partem optimam non ſortitur. Humiliora non eligit, & coronam non aſſequitur vitæ. Malæ mentis indicium eſt mutatio, quæ à dextera Excelſi non eſt. Illa ſolummodò conſtituit ſapientem, qui trāſit ad meliora, & de virtute progreditur in virtutem; qui conſtantiam diſciplinæ nōn deſerit, & mercedem expectat plenam.

99

Non eſt ſtultus, qui plenus eſt Spiritu Sancto.

STultus eſſe non poteſt, qui plenus Spiritu Sancto eſt. Stultitia morbus eſt animi, à quo prouenit tarditas cordis, è quo pullulāt germina errorum. Spiritus Sancti feſtina ſunt

opera, vera, & luminibus cumulata ſunt dona. Nemo Spiritus Sancti concaluit igne, qui cœli non penetrarit arcana, qui veritatis doctrinam non concluſerit corde? O quanta eſt ignis diuini mirifica vis! Expellit ſegnitiem, & virtutibus mentem illuſtrat. Rerum terrenarum cupiditatem auertit, & ſupernarum ſapientiam elargitur. 100

Mores mutantur difficillimè.

FAcilè eſt maris, terrarumque mutare fines, animi verò mutare mores difficillimum eſt. Dextera Excelſi ſolummodò mutat animum. Flante Spiritu Sancto à cognito, & damnato errore diſceditur: vetus exuitur, & nouus induitur homo. Cupiditatum abolētur imagines, & vitæ prioris potatur obliuio. Quod nocet, dediſcitūr cōcupiſcere, et quod iuuat, inchoatur amare. Quæ nunquam viderāt oculi, vident: quæ nunquam audierant, audiunt aures. Fiunt Templum Spiritus Sancti membra, quæ ſedes erant diaboli. Quotidiè vinctus catena legis nō rebellat affectus, præſéſque agitur vita cū lachrymis, & expectatur futura cum gaudio. 101

Fabula vana ſpes mundi.

TOta rerum natura vmbra eſt, aut inanis, aut fallax. Vmbræ ſimilis mūdus eſt, cuius figura, cùm præterit, inſtar fluminis idem non manet, curritque cum tempore, & in trāſitu ſemper eſt. Pariter velut vmbra pertranſit homo, cuius fallax eſt gratia, & inanis eſt pulchritudo, cuius gloria redolet vanitatem, cuius exiſtimatio ſapit nihil. Vanitati ſubiacent

cent cuncta. Priorũ memoria nulla eſt. Quaſi fabula vana ſpes Mundi, vbi meditantur homines falſa, vbi oculus viſu non ſaturatur, & auris non impletur auditu. Quę pars mundi nõ reſpondet inſanijs? Quale cor hominis fallaciæ, & dolo non congruit?

102

Fugitiua ſunt gaudia Mundi.

QVæcunque à Spiritu Sancto non veniũt, inſtar puncti fugitiua ſunt gaudia, & eorum extremis occurrunt pauor, & luctus. Quicquid à cœlo non incipit, illicò deſinit in abyſſum. Diù permanere non poteſt, quod vergit ad lapſum. Quæ boni perſiſtet opiniõ, vbi ante oculos eſt ruina? Mũdus, qui lachrymarum eſt vallis, amaritudinem ſonat. Semper in Mũdo riſus reputatus eſt error, & gaudijs eſt iniuncta deceptio. Veri gaudij non eſt capax humanitas. Quouſque carnem oluerit, perennis lętitiæ non vſurpauerit voluptatem. Victa tandem, & ſuperata carnis illecebra, audietur fluminis impetus, qui lætificat ciuitatem: Exultatio plenæ meſſis accedet, & lata perſpicuè illuceſcet triumphi laus.

103

Animi bona permanent, ætatis, & formæ non durant.

VAna cupiditatis irritamenta ſunt ætas, & forma: Altera paucis floreſcit annis, altera breues enumerat horas: Altera proficit, & ſuos agnoſcit proficiendo defectus: altera deficit, & ſuas horret deficiendo deformitates. Nulla vtriuſque felicem conſtituit.

Vtraque marcet, vt flos, vtraque fragilis, & caduca. Malè ſuperbit, qui tempori nititur: ſemper decipitur, colori qui credit. Animi bona tantummodò permanent, & à fonte Spiritus Sancti demanant. Neſcit ætates animus. Nec mos, nec natura refulgent, niſi radio Spiritus Sancti mos, & natura reſplendeant. Tunc animi imago ſpectatur in vultu: tunc conceptus cordis apparent in oculis.

104

Abeſt veritas, abeſt via, vbi Spiritus Sanctus non eſt.

VEritatis nequaquam pateſcit via, viam Spiritu non monſtrante. Si Chriſtus eſt veritas, Chriſtus eſt via,& Spiritu non annuente non itur ad Chriſtũ, abeſt veritas, abeſt via, vbi Spiritus Sanctus non adeſt. Docet iuſtitiæ ſemitas Spiritus Sanctus,& ante oculos mentis vltima mundi proponit. Sanctorũ ſplendore præoccupat animos, omneſque ſemper inuitat ad fontem vitæ. Fons vitæ ſolus eſt Chriſtus. Conſcius vitæ non eſt, qui aquam viuam de fonte Chriſti non biberit. Vnico fontis illius hauſtu cernitur via,diſcitur veritas. Via, qua tantummodò cœlum aſcenditur: veritas, qua mendacio locus non eſt, & viſus tandem reſpondet auditui.

105

Amat Columba Spiritus Sancti ſolitudinis loca.

IN plateis, vbi corruit veritas, & diem tranſigunt otioſi, columba Spiritus Sancti non reſidet, loca ſolitudinis amat, vbi mendaciorum voces non percrepant, nec otioſus

ardor

ardor erumpit vnquam in facinus. Illic inter lilia paſcitur ſecus decurſus aquarum, & deuorat ſpecioſa deſerti. Nil agnoſcit in ſyluis, quod oleat vanitatem. Educuntur è ſaxis argumenta conſtantiæ. Virentem fidem viriditas perſuadet herbarum. Fluuij prætereuntia denotant tempora. Sonant ſpeluncæ memoriam mortis. 106

Fides verba non quærit, nec argumenta, ſilentio alitur.

FLoret in ſilentio fides: Verbis non eget, nec argumentis. Tacita verbi diuini interpres eſt, & in contentione ſermonis nil ponit. Nuda ſedet in animo, niſi operta candoris amictu. Rutilat fortis, ſcuto duntaxat bonæ voluntatis armata. Sperat, expectat, credit, & ratione certior ſilet, ſed ò quantum loquitur, quando ſilet! Cuncta verba in vno verbo recenſet, & quicquid mens humana nõ capit, intelligit. Magnalia Dei taciturnitate percurrit, & quæ gaudiorum homini loqui non licet, aſſequitur.

107

Columba Spiritus Sancti intra fines Eccleſiæ canit.

EXtra fines Eccleſiæ Chriſti Spiritus Sancti Columba non canit. Vnitatis amica conſortium deſpicit exterorum. Vni petræ, ſuper quam Chriſti Eccleſia ſita eſt inſidere, lætatur, vbi vnam tantummodò fouet fidem, & largiter aquam, & mel per orbem totum diffundit. Super illam vnam paſcitur inter lilia, & vndique ſuauitatis emittit odorem. A

colentibus illam vnam libenter accipi ſinit, & illos veritatis doctrinam docere non dedignatur. Illis ligandi, & ſoluendi tribuit poteſtatem, & genus omne miraculorum oſtentare non denegat. In ſummo errore verſatur, qui cum illa vna non conuenit, & Spiritus Sancti Columbam tenere ſe credit in ſinu. Vnitas fidei diuiſionem non tolerat. Ramum quis vidit florere diſcerptum ab arbore? riuũ irrigare quis nouit preciſum à fonte?

108

Gratis confertur gratia Spiritus Sancti

GRatis, non pretio Spiritus veritatis accipitur. Non dicitur gratia, quæ pretio comparatur. Mendacij ſpiritus emitur pretio, & nomen honoris aſſumitur, non gratia Sacramenti. Lepra confertur, non ordo. Anathema eſt danti, anathema eſt accipienti. Vacant ſanctitatis ponderibus verba, & myſteriorum inanis eſt actio. In maledictionem conuertitur benedictio, & ſtola iucunditatis commutatur in laqueum pœnæ.

109

Aura Spiritus Sancti fauente plurima meſſis ſperatur in Cœlo.

CErtum eſt plurimam ferè meſſem in cęlo, cùm in agro Eccleſiæ ſatum eſt flãte Sancti Spiritus aura. Nil in terra pullulat boni, quod à Numine non acceperit incrementum. Fruſtra colitur ager, qui cœli rore non irrigatur. Seges illa non timet areſcere, quã à ventorum iniurijs cæleſtis Agricola intactam tuebitur. Labor hominum vanus, vbi ad-

uerſa ſunt aſtra. Pluries cùm cæleſtium gratiarum ſublata eſt vbertas, experimento perſpectum eſt, æris cœlum, & ferri terram aſſumpſiſſe naturam.

110

Si Spiritui Sancto tantummodò ſpoponderimus, coronabimur.

OVemque noſtrum, quæ manet in cœlo beatitas, ex illis agnoſcitur verbis, veni de Libano Sponſa, veni de Libano, coronaberis. Appellamur ad regnum, inuitamur ad gloriã. Quàm magna eſt multitudo dulcedinis! quàm ingens eſt locus poſſeſſionis! Beati nos, ſi alteri, quàm Spiritui Sancto nõ ſpoponderimus! lætabimur, exultabimus: introducemur in cellaria regis, & in decore ſuo videbimus regem. Inebriabimur vbertate bonorum: ſatiabimur amplitudine gratiarum. Stolis cingemur albis, & quiſque noſtrum fulgebit, vt Sol. Expectemus igitur humiles poſt lachrymas gaudia: poſt captiuitatis incõmoda libertatis quietem.

111

Ad bona quiſquis pertinax eſſe debet.

PErtinax animus eſſe debet ad bonas ſpes. Semper arcet pertinax bonitas quicquid mali ſpopondit iniquitas. Nihil eſt, quod pertinax opera non expugnet. Idcircò obnoxiũ violentiæ cœlum eſt, & portio paradiſi violentorum hæreditas eſt. Sæpe quod meritorũ facultas non obtinet, pertinacia precum aſſequitur. Fluit ex impetu ſpiritus gratiarum vbertas. Imbecillæ mentis eſt labore terreri, & per-

pertinaciter glorioſa non experiri. Res omnes, quantumuis arduas, & difficiles, ſuperat tandem diligens, & pertinax cura.

LIBER TERTIVS.

112

Homo non percipit, quæ ſunt Spiritus Dei.

QVæ ſunt Spiritus Dei, animalis homo non percipit. Pacis vnitate non fruitur, gaudio charitatis non delectatur. Aura vectus illecebrarum curſum melioris vitæ deflectit in ſcopulos voluptatis. Nullam in Deo nanciſci vult gratiam, & ciuis eſſe Sanctorum, Deique domeſticus, parum curat. Vitæ æternæ verba non audit, & vt bene agat, intelligere reſpuit. Spiritualia spiritualibus comparare non poteſt, in operibus carnis verſatur, & viliter ſenſibus ſubigit rationem. Studioſior appetit bona Mundi, quàm cœli theſauros, & cupit hominibus magis placere, quàm Deo. Occupat corpore Sanctuarium, & mens errat per vicos, & per plateas. Ore pſallit in Templo, & animus ruſticatur in villa. Pertractat manibus Sacramenta, & intellectus concupiſcentijs inhiat. Optima cuncta contémnit, & peſſima quæque peroptat.

113

Gratia Spiritus Sancti perfuſus obliuiſcitur vitiorum.

OMnium bibit odium vitiorum, qui ſemel in rore Spiritus Sancti perfuderit labra

labra. Illicò malum, quod amauerat, non agnoſcit, & amore ebrefactus æterno, eructat ornamenta virtutum. Deſideria carnis dediſcit, & Spiritus meditatur amplexus. Abhorret à terra, & quicquid cœlum non ſapit, reſpuit, aſpernatur. Inſtar fugientis à facie colubri labem fugit peccati, & paſci tantummodò poſtulat inter lilia. Pacis cogitationibus implet animum, & greſſus omnes diſponit ad calculum. O quàm propè in viuo ſanguine cineres confitetur ſilentes, & vltimæ tubę ſonum pręſentit in auribus vndique perſtrepētem. Lubricum vitæ curſum lachrymis, gemituque proſequitur, & melioris æui periodum opperitur è morte. Gaudia nunquam deficientia fletibus ſibi parat exiguis, paruiſq; mœrorum momentis in funere voluptates adipiſcitur immortales.

114

Viam Domini currit, qui Spiritus Sancti igne flagrat, & verbum veritatis habet in ore.

CVius ardet in corde flamma Spiritus Sācti, & verbum veritatis non aufertur ex ore: illi ſolummodò datur vias Domini currere, Dominique iuſtitias enarrare. Salutis ſemitam pes ſuperbus non calcat: conſcientia ſcelerum facundiam bonitatis non euomit. Qui ſenſus vitæ procedent è corde non puro? Quæ munera gratiarum reſonabunt in ore nō ſancto? Expoſcet forſan Domini faciem intueri, qui ſanctitate vacabit? Cupiet fortaſſe diſſolui, & eſſe cum Chriſto, qui viuit carnis illecebris irretitus? Spiritus differt à carne,

vt cœlum diſtat à terra. Alius cibus eſt mentis: alia vota ſunt corporis. Zelus domus Dei non eſt idem, ac Mundi ſolicitudo. E temporalibus proſilit vanitas: inuenitur veritas in æternis. Flammam Spiritus Sancti in corde non geſtans, charitatis ardore langueſcere nō ſe iactet: verbum veritatis in ore non habēs, à ſpecioſo præ filijs hominū oſcula non præſumat.

115

Spiritus Sancti flamine ductus nihil ſibi arrogat.

NIhil arrogat ſibi Spiritus Sancti flamine ductus. Totum diuino ſe credit imperio, & illuminationem expectat è nocte. Gloriatur portare iugum, nec cœlum precibus fatigat indebitis. In præcepto non fingit laborem, & expers querelæ vias ambulat veritatis. In quacunque fortuna, quas Deo referat, nanciſcitur gratias. Vbi non eſt timor, non timet: vbi ſpes non eſt vera, non ſperat. Diligit, & obedit. Exequitur dilectione mādata, & duram non experitur in ſeruitute neceſſitatem. Quod lucis abſcondit in animo, præmonſtrat in moribus. Quod pietatis in viſceribus cōgerit, in operibus manifeſtat.

116

Sine auxilio Spiritus Sancti nemo fieret ciuis Sanctorum, nemo domeſticus Dei.

SI Spiritus Sancti prius igne non incaluerit, veterem quis exueret Adam? aqua pœnitentię quis dilueret pedes? Amota Spiritus Sancti flamma omnes maledictionē induerent, omnes morerentur in ſordibus. Nemo ciuis fieret Sanctorum, nemo domeſticus

Dei

Dei. Conſumeretur ſubſtantia fidei, & quisquis fame periret. Propter gemitus Spiritus Sancti surgit tandem peccator, & clamat, peccaui, & miſereri non obliuiſcitur Deus. Corpus ſeruituti ſubigitur, & lex carnis cum lege mentis non pugnat; aſcenſiones diſponuntur in hominis corde, & virtus virtute paratur. O qua mente fulgeſcit noua, qui Spiritus Sancti ſemel hauſerit flammam! ò cui forti ſeruatur? Illicò ſtola circundatur prima, ſit óſculo dignus, & annulus non deeſt in digito. Qui mortuus erat, reuixit; qui perierat, inuentus eſt.

117

Sola Spiritus Sancti protectio vera eſt.

INduit maledictionem, vt veſtimentum, qui ſpem ponit in homine; qui verò in Spiritu Sancto confidit, præuentus in benedictione dulcedinis diademate coronatur æternitatis. Vanus, & mendax eſt homo, qui ſua luti primordia denegans, ſuperbiæ graditur pede, & vbi non eſt ſubſtantia, iacere fundamenta conatur. Sola Spiritus Sancti protectio vera eſt, è cuius fiducia profluit quies, cuius ſeruitij merces eſt gloria. Quicquid ab aura Spiritus Sancti non venit, in querimoniam deſinit. Sub hominis patrocinio nullus eſt felix. Felicitatem, qua quilibet eget homo, alteri exhibere quis poteſt?

118

Spiritus Sanctus inuitat omnes.

INuitat omnes Spiritus Sanctus ad cœnam, & veſtem etiam exhibet nuptialem. A nuptijs non formidat expelli, qui cingitur

cha-

charitatis amictu, & gratiæ velamen oſtentat. Sine charitate panis non editur Angelorum: ſine gratia inebrians non bibitur calix. Vterque emitur gratia, & charitate: vtramque Spiritus Sanctus largitur. O ſalutaris largitio, quæ præparat Paradiſi delicias!

119

Spiritus Sancti lumine præcedente cernitur bonũ, & iuſtitiæ curritur via.

LVmen Spiritus Sancti non quæritur, cùm Mundi non reſpuitur fumus. E fumo diſcunt oculi cœcitatem, è lumine viſum. Oculorum vſum non habet, qui diù permanſit in fumo. Iniquitatum fumo correptus candorem non aſpicit veritatis, & ſumere neſcit in calamitate conſilium. In multis verſatur erroribus, quando cogitat nunquam errare. In cœlum inuehitur, & Sacramenta violare non erubeſcit. Nec quid liceat, nec quid expediat, proſpicit, & quietem à cauſis expoſcit, quę ſunt argumenta laborum. O cœcos hominum habitus! iuſtitiæ non curritur via, niſi Spiritus Sancti lumine præcedente. Bonum illud, quod ſenſum ſuperat omnem, mente non cernitur, niſi Spiritu Sancto lucis radios effundente, qua bonitate replentur omnia, & in qua viuimus omnes, mouemur, & ſumus.

120

Principium beatitudinis veritas eſt.

FAllimur omnes, ſi beatam optamus vitã, & è qua ſumit beatitudo principium, cõtemnimus veritatem. Quid ſequimur vana, & immoramur in falſis? Quid ſpes inanes inter-

pre-

pretamur è ſomnijs? Quid lucem expectamus ab vmbra? Quid quietem argumentamur è fumo? Calamitas ineſt in his, non beatitas. E gaudio veritatis vitam vſurpamus beatam, cū ad Sanctos transferimur montes, & illam, ſicuti eſt, intuemur. Illicò veritate reperta, amor prætereuntis ſæculi ceſſat, & voluptatibus delectari inchoamus æternis. Quæ nos manent ſpectacula gloriæ, oculus neſcit: quæ nobis paratur lętitiæ ſuauitas, ad aures non venit: quam nos gratiarum amplexabimur amplitudinem, cor non capit.

121

Conſulimus corpori, & de animâ non curamus.

HVmanorum inſania eſt, omni cura conſulere corpori, quod ſubiacet morti, & de partibus animæ, quę æternitatis eſt capax, aut ſegniter, aut inconſultè proſpicere. Campos, ſyluas, & ipſum aerem occupamus inſidijs, vt gulæ luxui ſatisfiat: longinquos peragramus pelagi ſinus, & cuncta maris perſcrutamur arcana, vt venter epulis ſaturetur. Quo flagramus conatu, cui ſumptui parcimus, vt membra veſtibus exornata reſplendeant? Inconſideratè tamen vanitatibus ſubijcimus intellectum, & ſpeculamur inania. Nec exitus, nec initia rerum recogitamus, & peſſimè feriati concupiſcimus praua. In vetitum nitimur, & ea conſequi machinamur, quæ tandē ſunt paritura ruinam.

122

Qui caret luce Spiritus Sancti, prolabitur in errores.

NEc ſeipſum, nec Deum noſcit, qui Spiritus ſancti luce nõ videt imbutus. Neſcit ſe cinerem, & ſtultè contendit de nobilitate cum Angelis. Morti ſe negat obnoxium, & imprudenter immortalitatem cum terra pacifcitur. Rerum omnium Deum non confitetur authorem, & Numinis prærogatiuam vſurpat. Stellas, & cœlum Dei nutu circumuolui non credit, & diuinitatis execratur arcana. Oblitus ſui, naturæ primordia non curat humanæ. Nititur fabulis, & paſcitur vento. Semper aut inſipienter, aut ſuperbè prolabitur in errores, qui à luce Spiritus Sancti, vndè veritas emicat, alienus eſt. Inſipientia ſuperbiæ parens eſt, & ſuperbia futuræ damnationis repræſentat indicium.

123

Aliud ſuadet Columba, & aliud ſerpens. Serpens attulit mundo caſum, columba ſalutem.

COlumbæ volatum non optat, vt requieſcat in cœlo, qui radit humum, vt ſerpens, & ventri, gulæque viuit. Serpentis cibus eſt terra: præter terræ cauernas nil appetit, & caput ad ſuperos attollere nequit: malis verſatur in dolis, & tortuoſo graditur greſſu. Gaudet iaculari venenum, & ſtudet moliri ruinas. Alius ſidera cupientis eſt appetitus: inſtar columbæ ſimplicitatem moribus colit, & rore veſcitur immortali. De virtute euolat in virtutem, & innocentiæ flagrat amore. Lætatur oliuæ ramis, & agit de peccato triumphum. O quàm differt à ſerpente columba! Serpentis cauſa amictum fraudis natu-

natura cognouit: columbæ gratia reſtituta eſt vniuerſo ſerenitas. Ille delectat oculos, & inquinat mentem: iſta mentem conſeruat, & oculos ducit ad veritatem. Ille offert ſcientiã, ſed adimit disciplinam: iſta largitur pacem, & regni æterni reuelat ſpem.

124

Triſtatur Spiritus Sanctus ob lapſum dilecti.

O Veritur, luget, flet, & in lamenta prorumpit columba Spiritus Sancti, cùm intuetur dilectum vacare ſceleribus, & ouina ſub pelle mentiri lupum: ſanctis carnibus ſatiari, & malitias non repellere: nullam in labris cuſtodire ſcientiam, & legem in corde non hoſpitari. O quibus gemitibus, ait, inenarrabilibus, domus dilecti, cùm dormierit, infernus eſt! Cœli gloriam non videbit, & deuorante cũ igne paciſcetur ęternitatis ardores. Cõfuſionis experietur opprobrium, exigetque ſupplicia criminibus reſpondentia.

125

Nolite contriſtari Spiritum Sanctum, in quo ſignati eſtis.

PRotinus contriſtatur Spiritus Sanctus, cũ reſpuiſſe nos videt, quæ nobis largitus eſt dona: quas nobis conceſſerat gratias. Percipit fruſtra ſpiraſſe fauillas amoris, quando in cordibus noſtris charitatis ſigna frigeſcũt, & mœret. Aquam viuam è cœlo diffudiſſe animaduertit incaſſum, quando tot in nobis cumulatę ſunt ſordes; & dolet. Non habitat Spiritus Dei, vbi amoris fauilla non feruet. Vbi puritas mentis non candet, columba Spi-

ritus Sancti non reſidet.

125

Cuiuslibet intereſt alterius complorare lapſus, ne Spiritus contriſtetur.

SPiritum Sanctũ contriſtat, qui lapſu gaudet alterius. Gaudet incaſſum Spiritum Sanctum ingemuiſſe, & diabolum retuliſſe victoriam. Gaudet ouem Chriſti ſanguine partam, ab Eccleſia perditam, & inferno fuiſſe ſubactam. Fideles omnes vnius corporis mẽbra sunt, cuius caput eſt Chriſtus: pretio, quo redemptus eſt vnus, eodem redemptus eſt alter: eodem ſpiritu viuunt omnes. Quapropter indignè prægeſtit manus, quando pes languet: iniquè poples exultat, quando crus dolet. Cuiuslibet intereſt alterius complorare calamitates, & eum, qui tendit ad mortem, eruere. Suæ ipſius ſaluti conſulit, qui pro ſalute laborat alterius.

127

Conteritur Spiritus intemperantia linguę, & lætatur ſilentio.

COnterit Spiritum lingua, quæ intemperans eſt. Spiritus quietis amicus, verborum intemperantiam pati nequit. Fructus pacis non cuſtoditur, nec diſſenſione, nec multiloquio. In ſtatione, quæ ventorum eſt ſedes, nulla ſpectatur tranquillitas. Prodeũt è vocum tumultu tempeſtates iniuriarum, erumpunt è clamorum tonitribus fulmina incommodorum. Lætatur ſilentio ſpiritus; qui verborum ſono non eget, lumine manifeſtat arcana, dulcedine luminis animos allicit ad

ſalu-

ſalutem. Habet ſcientiam vocis, ſed vno cõtentus verbo, copiam fandi non amat. Cuſtos eſt innocentiæ taciturnitas, humanorum affectuum moderatrix, diuinitatis interpres. Quis ignorat concedi gratiam pro ſilentio? Genus humilitatis eſt, cuius comes ſemper eſt gloria: cultus iuſtitiæ eſt, cuius partus ſempiterna ſerenitas eſt. 128

Tentat Domini Spiritum, qui mendacijs, & fictionibus vtitur.

SPiritum Domini tentare non conuenit. Qui ſcrutatur renes, & corda, malitias hominum non ignorat. Punitur morte tentator. Quem Angeli adorant, homines flocci non pendant. Illicò Satana cor illud impletur, quod Spiritui ſancto mentitur. Nulla eſt communicatio lucis ad tenebras. Non habitat Spiritus, vbi mendacium habitat. Inſtar Columbæ candicantis apparet, quia ſinceritatis amator fictum effugit diſciplinæ, & cogitationibus, quæ non redolent intellectum, nec aſſiſtit, nec fauet. Impiorum detractiones execratur, & odit, & præſens operibus, quæ pietatem, & manſuetudinem referunt, eſſe gaudet. In medio ſpinarum eligit ſibi lilium, & quicquid mundi vanitatem non ſpirat, amplectitur. 129

Spiritui Sancto mentitur, qui formam alienam aſſumit.

ALienam aſſumere formam, Spiritui Sãcto mentiri eſt. Dedecet virum, quod fœminæ conuenit. Fœminæ eſt turpitudo, quę gloria viro eſt. Vnicuique ſexui tribuit natu-

rã mores, & habitus. Fœminæ, & viri diuerſus eſt vſus, diuerſus inceſſus, differens robur, differens vox. Nutrit fœmina comam, gaudet vir barba. Gloriatur illa ſilentio, ſuperbit iſte doctrina. Vni laus eſt in vultu, alteri ſplendor in viribus. Vtrique in animo bene ſedet integritas, & tàm in habitu, quàm in actu turpe eſt vtrique mendacium.

130

Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei.

DIgnus miſeratione non eſt, qui contra Spiritum Sanctum effuderit verbum. Indignus eſt beneficio, qui beneficij execratur authorem. Saluum, qui Spiritui Sancto obſtiterit, nullum ſæculum vidit. In ſchola Spiritus Sancti remiſſio diſcitur peccatorum. Docet enim ille doctrinã orandi pro venia, artem gemendi pro gratia; quæ geſtorum obſeruentur obſequia, quibus planctibus peroretur. Sanctorum ſcientiæ ſine magiſtro nequaquam patent. Caret diſcipulus argumentis, cùm a magiſtro deſeritur. Maleuolam in animam quando infunditur ſapientia? Qua via fulgebit vnquam lux veritatis, vbi caligat ignorantiæ cęcitas, vbi viget turpitudinis appetitus? Nil habet quod ſperet, quem Spiritus Sanctus excluſit auxilio.

131

Apud illum extinguitur Spiritus, cui deficit oleum.

EXtinguitur Spiritus, & obuiam ſponſo non itur, cùm lampades indigent oleo.

Ianua clauditur veniæ, & ad nuptias non datur acceſſus. Nequit viuere ſpiritus, vbi oleum ſapientiæ non abundat; ſponſoque, quando ſpiritus deficit, nequicquam occurritur. Æternùm permanet in homine ſpiritus, cùm homo carnem non olet: neque deeſt lampadibus oleum, ſi mortis vmbra reſpuitur. Ita quicunque aura veſcetur humana, ſponſi gaudebit amplexibus, & igne duntaxat calebit illo, quem ſponſus effudit in terram.

132

Qui tepeſcit in igne Spiritus Sancti, in initio præuaricationis eſt.

PEior eſt frigido tepidus, qui Spiritus ſancti non igneſcit ad ignem, & in progreſſu ſalutis vndequaque tepeſcit. Putat fidem habere, & fide caret: retur legem cognoſcere, & legem negligit. Fidei calore non feruet, & gratiam non præmonſtrat in labris. Eloquia Dei non abſcondit in corde, & opera iuſtitiæ non exercet. O quàm verè tepidus humor vaporem ad aſtra non efferens, glutitus euomitur! Euomitur è viſceribus Chriſti, qui charitatis non calet incendio. Tepor religionis flagitiorum miniſter eſt. Incipit ſæpenumero à tepore virtutis præuaricationis occaſio.

133

Qui Spiritus Sancti flamma comburitur, humanam deſpicit vitam.

TÆdet humanæ vitæ, quem Spiritus Sancti flamma comburit. Terrenas contemnit opes, & deſiderio æternitatis incenſus cœleſtes exoptat. Quotidie liber è carcere cor-

poris expetit euolare, & Chriſti complexibus frui. Cenſet mori, cùm viuit, & exigit mortem, vt viuat. Melioris auidus æui cupit mortalitatis amictum exuere, & ſtolā induere gloriæ. Quàm graues experitur amando moras! Nequit abſentiam tolerare dilecti: Flagrat aſpicere ſpecioſum præ filijs hominum, ſicuti eſt, & languet amore. Ardet nuptias celebrare cum ſponſo, & in lachrymas anima liquefit.

134

Tardus corde, aut ſtultus, aut duræ ceruicis

MOrem Spiritui Sancto non gerit, qui ad Dominum conuerti non properat, & de die differt in diem. Actionum impetu Spiritus gaudet, & moras præcipitare lætatur. Tardus corde, aut ſtultus, aut durę ceruicis. Non cupit, qui non feſtinat. Qui cunctatur in bono, exiſtimatur inuitus. Vitioſa eſt quæcunque dilatio, quæ non oritur è conſilio: ſed veritas conſilium non requirit. Præproperandum eſt ante tempus anguſtiæ, quò veritas vocat omnes. Illi gratia comes non eſt, quem compellit importuna neceſſitas. Viuentis, & ſani commendatur conuerſio: rarò vtilis ſera eſt. Quis reuerti dicetur è vijs peſſimis, cùm illas iam compleuerit omnes?

135

Gratia Spiritus Sancti petenda, dum quis viuit, & ſanus eſt.

AQuocunque, dum viuit, & ſanus eſt, gratia Spiritus ſancti petenda eſt. Conſiliū gladiator in arena non capit. Præoccupanda eſt beneficiorum occaſio. Dormitantis eſt inhæ-

hærere ſocordię. Inſanientis eſt in futurum differre ſpem. Quicquid pertinet ad ſalutem, prætereundum non eſt. Non proſunt lachrymæ, cùm propè eſt iudicium. Non tranſit oratio, cùm peccatorum nubes opponitur. Quãdo opportunitas abeſt, auxilium quærere vanum eſt. Qui, quando potuit, noluit, non poterit, cùm voluerit. Solertia, animi celeritas eſt, non tarditas. 136

Stat ad oſtium cordis, & pulſat Spiritus Sanctus.

ETiamſi propter culpas expellatur è corde peccantis, longè Spiritus Sanctus nõ abeſt. Aſſiduè ſtat ad oſtium cordis, & pulſat, Mortem peccatoris non vult, & peccata diſſimulat. Amotis ſceleribus petit ingreſſum: dijs alienis excluſis inſtat admitti. Non habitant ſimul tenebræ, & lux. Clamat, exclamat. Pœnitentiæ reſponſum expectat, vt intret. Miſericordia præſto eſt, & ſuperabundat in benedictionibus gratia. Qui ad ignoſcendum eſt multus, illicò miſeretur errantis, extemplò ſanctificat pœnitentem.

137

Sacrificium ſpiritus contribulati gratum eſt Spiritui ſancto.

GRatum eſt Spiritui Sancto contribulati ſpiritus ſacrificium. Qui ferri ſolitus eſt ſuper aquas, remeat libenter ad lachrymas. Non carent vocibus lachrymæ, cùm ex humilitatis defluunt fonte. Humilitas dolori coniuncta penetrat nubes, & cœlo vim facit. Omni facundia Rhetorum humilium lachrymarum efficacius eſt ſilentium. Vapor confu-

ſionis, qui ſurgit è torrente verborum, è cõtritionis taciturnitate non gignitur. Pulſat cœli fores taciturna contritio, & humiliter impetrant indulgentiam lachrymæ.

138

Amat arborem Crucis Columba Spiritus Sancti.

NIſi in arbore Crucis, nullibi reſidet Columba Spiritus Sancti. Amat crucem, & baiulantibus crucem ſemper eſt prę ſto. Alit pullos ſuos in foraminibus petræ, & gementium reſpondet ad gemitus. Omnes vocat ad ſpinas, omnes inuitat ad clauos. Neminem admittit inuulneratum: nemini non languenti ſe credit. Omnes humanis opibus vult nudatos, & omnes alarum ſuarum locupletat argento. Quamuis creſcant anguſtiæ, quamuis dolores excedant, derelinquit neminem ſolum. Inter iniurias parat honores, delicias adornat in pœnis. Indicat vitæ fontem è cruce manantem, è quo ſemel, qui biberit, obliuiſcitur ærumnarum, & Chriſtum redolet crucifixum: è cuius hauſtu duntaxat vno cœli pateſcunt arcana, & terrarum pretioſa vileſcunt.

139

Facta carnis mortificans, Filius Dei fit.

VIuit, & Dei filius fit, qui ſpiritu facta carnis mortificat. Auram vitæ non carpit, & veluti filius tenebrarum hebeſcit, qui ſpiritualis neſcius libertatis, vitiorum catena langueſcit obſtrictus. Ille futuræ gloriæ particeps Mundo crucifigi non curat, & à ſeruitute corruptionis expectat abſolui: hic imminentis exitij inſcius, nihil æſtimans caſum,

abdo-

abdomini tantum indulget, & falſas opperitur inſanias. Ille ingemiſcit, & primitias ſalutis aſſequitur: hic gaudet, & abyſſi propinquat ad oſtium.

140

Vbi eſt ſanctitas conſcientiæ, & bonus odor Chriſti, illuc aduolat Spiritus Sanctus.

VBi bonus Chriſti flat odor, illuc aduolat Spiritus Sanctus, & languet amore. Odor Chriſti bonus, eſt ſanctitas conſcientię, fama bonorum operum. Si quis cogitationibus veſcitur pacis, illicò Spiritum Sanctum audit dicentem, in vno crine colli tui vulnerasti cor meum. Si quis iuſtitiæ ſemitas ambulat, confeſtim ad illum Spiritus Sanctus exclamat, ſandalia tua rapuerunt oculos meos. Dulcia Spiritui Sancto verba ſunt charitatis. Specioſi Spiritui Sancto ſunt pacē euangelizantium pedes. Horū idcircò vnumquāque illis vocibus poſtremùm inuitat, veni dilecte, veni de Libano, vocat te cœli Pater, manet cęleſtis te patria. Delicijs affiues, paratum eſt tibi regnum: lætaberis, coronaberis.

141

Vigilandum, & flendum eſt.

REſpuit in cœlis inire commercium, qui Mundi oblectamentis illectus obdormit, & Spiritus Sancti vocem non audit. Qui omnes ad horas non vigilat, gaudia neſciet cæleſtium nuptiarum. Correptos ſomno ſpōſus non vocat. Antequam pulſet fores, abſcedit. Beatam expectantibus ſpem inimicus eſt ſomnus: ſomnus mortis germanus coronam vitæ non parat, ſed egeſtatem, & confuſionis

oppro-

opprobrium. Submergenda ſunt lachrymis lenocinia vanitatis, & lachrymarum vigilijs credendæ ſunt animæ. Mundi malefida in hac ſtatione iugiter flendum eſt. Cauſa animarum planctibus agitur, & vox Domini ſuper aquas auditur.

142

Seù naſcamur, ſeu renaſcamur, ſemper egemus aquis.

Diluimur lachrymis, quæ ſunt vndę peccati, cùm naſcimur: mundamur aqua baptiſmatis, quæ manat à flumine gratię, cùm renaſcimur. Seù naſcamur, ſeù renaſcamur, ſemper egemus aquis. Forſitan, niſi ad odorē aquæ, germinare nil valet. Forſitan, niſi ſuper aquas, vox Domini nequit audiri. Eſſe ſemitas Domini in aquis quis neſcit, vbi veſtigia ſunt ignota? Olim, qui ferri conſueuerat ſuper aquas, aquarum non dedidicit vias. Adhuc lætificatur Domini ciuitas fluminis impetu, & afferentes ſalutem in terris vocat Angelos aquę motus.

143

Spiritus Sanctus eſt argumentum promiſſionis, & arma ſalutis

Ecquis diſſolutus in cinerem eſſe ſperabit cum Chriſto, quando in terris cum Spiritu Sancto non vixerit? Qui cum Spiritu Sācto, in quo omnia conſtant, non manſerit, Chriſto frui non poterit. Eius gratia de ſtatu peccati ad iuſtitiæ ſtatum transferimur, Chriſti ſocietate dignamur, & regni cohæredes efficimur. Ita nos omnes ſumus vnū in Chriſto Ieſu, ſanctificamur in ipſo, & beatam expecta-

pectamus ab ipſo ſpem. Non eſt Chriſti, qui Spiritum Chriſti non habet: lumine ſancto ſe conſeruante caret, & affectuum ſeruus ſenſibus ſeruit. Argumentum promiſſionis Spiritus Sanctus eſt, & arrha ſalutis. Nec lumen, nec gratia fulgeret vnquã in nobis, niſi Spiritus Sanctus in cordibus noſtris gratiam infudiſſet, & lumen. Vitam duceremus in captiuitate captiuam, & mortis ſederemus in vmbra. Declinantes à fonte boni diceremur inutiles, & cœlorum hæreditate declararemur indigni. Virtute Spiritus Sancti, quando naſcimur tenebræ, transformamur in lucem. Defluit virtus ab illo, quę ſanat omnes: venit ab illo ſpes ſancta, quę benedictionibus omne animal replet.

144

Nil deeſt, cui Spiritus Sanctus eſt comes.

CVi Spiritus Sanctus eſt comes, nil deeſt. Pietatis vocabula Spiritus Sancti continuè pulſant affectum. In quouis ſtatu beatitudinem inuenit. Intra paupertatis anguſtias, pacis nanciſcitur abundantiam. In obſcuritate proſapiæ candorem lucis meditatur ęternę. In delicijs neſcit corrumpi, ſi incorruptionem recondit in animo. In laboribus fractus non deficit, ſi ſuauitate circundatur vndique gratiarum. In omnibus reperit bonum, ex omnibus elicit ſalutare. Lilia legit è ſpinis, aquam bibit è petra, in medio pelagi viam ambulat ſpatioſam, in deſerto cibos comedit Angelorum.

145

Donum Spiritus Sancti eſt vitæ felicitas.

VItę felicitas non adſcribenda fortunæ: potentię concors non eſt: cum ſceptro non congruit: non veſcitur ſomnijs: abhorret à ludis. Sancti Spiritus munus eſt, & tantum felicitatis cuique contingit, quantum virtutis. Felix vita in virtute conſiſtit,& actione, non habitu coaleſcit. Sed virtus ſingulis,prout vult, à Spiritu ſancto diuiditur. Ergo Spiritus ſanctus felicitatis eſt diſtributor,qui apparatu gaudet interno, & pompas non quęrit exterius. Simplicitatis amator eſt, & quę ſũt Mundi, aut parui pendit, aut reſpuit.

146

Ad Spiritum Sanctum pertinet corporis, animiq; curationum gratia.

IAm procul è Mundo deſperationes ſunt abdicandæ. Quoties remedium medicina non inuenit, à largitate Spiritus ſancti expectandum eſt beneficium. Manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem vnicuique conceditur. Spiritus ſanctus fit omnibus omnia, & regione ſpirat in omni. Inter vitæ labores, inter mentis anguſtias nemo deſperet. Siuè ſolicitudines vrgeant, ſiuè ingraueſcant ærumnę, corporis, animique curationum ad Spiritum ſanctum pertinet gratia. Commune præſidiũ Spiritus ſanctus eſt, apud quem ſi fides non deficit, vota non fallunt. Deſperatio, certa mors eſt: deſperationis radix, ignauia Spiritus eſt.

147

Lege Spiritus ſancti, nec aduerſis, nec proſperis immutamur.

APud quos viuitur lege ſpiritus, proſpera ſenſus non efferunt: animum non turbāt aduerſa. Velox gaudia tempus non eripit: importuna non inſtat à tergo mors. Exigitur bonum è cœlo, & terræ commoda reſpuuntur. Placet, quod cœlum ſapit, & tædet, quod terram olet. Nil in mente concipitur, quod veritatis non repræſentat imaginem. Delectat in omnibus candor, approbatur in cunctis integritas. Quicquid vota pertentant, eſt poſſeſſio gratiæ: totum, quod deſideriorum vis appetit, eſt beatitatis æterna pręſcriptio.

148

Adiuuante Spiritu Sancto mala non nocent.

SPiritu ſancto aſſiſtente mala non ſunt aduerſa. Quem latet rebus aduerſis ſeruari virtutem, felicitate corrumpi? Aduerſa præparant ſapienti coronas, inſipienti ruinas. Inter aduerſa cor ſapientis verbum eructat bonum, inſipientis lingua execratur. Iuſtus interdum, cùm traditur Satanæ in interitum carnis, morſus Satanæ perfert, ſed venena non ſentit. Fortior fit, cùm infirmior. Carnis potentia frangitur, ſed mentis confirmatur imperium. Prodeſt animo, quod corpori nocet. Non pallet, non trepidat, & morarum impatiens tormentis occurrit. Innocentia pęnam non metuit, quia atrocitate nominis ſupplicium non metitur, & magnum aliquid beneficij experitur in pœna.

149

Ceſſat hoſtium perſequutio inuocato Spiritu Sancto.

In-

INuocato Spiritu ſancto ſtatim deſinit hoſtium perſecutio. Aut cœcitas occupat hoſtes, aut fulmen, aut ignis, aut mare. Quis hominum furor, quæ rabies, quę peruerſitas diuino contradicet amori? Aut miteſcet, aut euaneſcet impiorum maleſana cupido, vbi Spiritus ſancti fax ſemel effulſerit. Cuſtos quietis, & pacis Spiritus ſancti fax eſt. Molimina deſtruit odientium, inſidias aduerſariorum euertit. Spiritu ſancto patrocinante vita hominis ſuper terram non eſt militia, nec præuaricationis occaſio, ſed palæſtra virtutis, & futuræ felicitatis exordium.

150

Sine gratia Spiritus ſancti eſſe procul à peccato non poteſt homo.

NIſi Spiritus ſancti pręſens noctes, & dies adeſſet gratia, hominem quis vindicaret à lapſu? Hominum aduocatus, qui Ieſus eſt, inuito Spiritu ſancto appellari non poteſt. Solum mens illa miſerijs non obtorpeſcit humanis, quam virtus Altiſſimi obumbrat. Statim diligit, & à dilectione vacare nequit. Extemplò veritatis agnoſcit viam, & tanquam ſcintilla in arundineto diſcurrit. Illicò ſordes oblita terrarum, precibus cœlo vim infert, & præter doctrinam iuſtitiæ, nil aliud petit. Incipit abundare delicijs, & tabernacula ſperare fiduciæ. In pulchritudine pacis ſedet, & quæ parata ſunt diligentibus Deum, expectat.

151

Spes noſtra omnis eſt in Spiritu ſancto.

NIl metuendum eſt, præter vitium. Ne quid vſurpet imperij, totis reſiſtendū eſt ſenſibus. Antequam muros occupet, arcēdus eſt hoſtis. Cùm potitus eſt propugnaculis, conditiones non accipit. Nunquam auditum eſt cum captiuis fœdus pepigiſſe victorem. Victor modum ignorat, & ſemper eſt inſolens. Irruit, furit, vaſtat, euertit. Nulla ſalus eſt victis. Vnica Spiritus ſancti ſupereſt ſolummodò ſpes, cuius aura, quod exciderat, reſtituitur; quod perierat, reuocatur ad vitā.

152

Affert ſecuritatem vitę ignis Spiritus ſancti.

VIuit ſecurus, qui ſolo Spiritus ſancti caleſcit igne. Cupiditatum ardore non vritur: metu criminum non concutitur: geſtit nihil impij cogitaſſe, nihil iniqui feciſſe lætatur. Magna ſecuritatis pars eſt, integritas animi. Siuè procellarum horrore crudeſcat cęlum: ſiuè bellorum tumultu perſtrepet tellus, nil cauet, nil metuit. Semper eſt idem. In pulchritudine pacis, in tabernaculis fiducię ſedet. Morum tranquillitate quietem metitur. Cultus innocentię quies, opus iuſtitiæ pax eſt.

153

Sine lumine Spiritus ſancti, vel re, vel verbo decipimur.

VEl re, vel verbo decipimur, quotieſcunque Spiritus Sancti lumen nō adeſt. Nō diſtinguimus bona, nec voces, & pro bonis amplectimur mala, ſequimurque pro vocibus fabulas. Fluctuamus inter metum, & ſpem, & perturbamus verba conſilijs. Ancipiti ducimur

mur animo, & longis irretimur ambagibus. Sæpe ſub virtutum imagine ſuccumbimus vitijs, fortitudinem appellamus audaciam, moderationis amictu velamus ignauiam, cautionis titulo timiditatẽ accipimus. Lumine Spiritus ſancti, qui continet omnia, & ſcientiam habet vocis, probatur tantummodò veritas. Si procul ab illo diſtamus, errorum obruimur tenebris, & res, & verba nos fallunt. Extemplò ſimplicitatis nobis deficit ſermo, & noſtræ fucum ſapiunt actiones. Ad nos ſtatim propinquat iniquitas, & cunctis vitę fraudibus obligamur.

154

Via ſalutis eſt, quam bonus Dei Spiritus monſtrat.

Recta ſalutis via non eſt, quam ſpiritus Dei bonus non monſtrat. Fallimur ſæpe ſub ſpecie recti, & anfractus errorum imprudenter ingredimur. Locum exiſtimamus eligere tutum, & abyſſum offendimus. Pietatis aliquando cenſemus officia, quæ deſinunt in infamiam. Diſciplinam ſæpe laudamus, quæ delabitur in laſciuiam. O quàm crebrò cùm ſeritur triticum, pullulat lolium! Incredibile dictu, germinat è virtute reatus, ab innocentia proſilit crimen. Quicquid à Spiritu ſancto non venit, fuco, & fraude non caret.

155

Aura, quæ Spiritus ſancti non eſt, aura ſuperbiæ eſt.

Qvicunque Spiritu ſancto plenus nõ eſt, vanus eſt. E Spiritu ſancto plenitudo defluit gratiarum. Aura, quæ Spiritus ſancti

non

nō eſt, aura ſuperbiæ eſt. Profert vtraque libertatē, ſed vnius libertas ſapit virtutē, alterius redolet petulantiā. Vtraque legi nō ſubditur, ſed vna ſemper abundans aſcendit ad gratiā, altera tandem exinanita deſcendit ad pœnā. Motus vnius ſunt ornamenta: alterius crimina; qui ſunt in vna fideles odores, in altera ſunt nequitiæ. 156

Fides deficit, cùm reſpuitur aura Spiritus ſācti.

HOminum fides tunc deficit, cùm ſancti Spiritus aura reſpuitur. Aura Spiritus ſancti remouet fraudes è cordibus, incorruptoſque cuſtodit animos: certam exhibet ſpē, & beneficiorum imagines in mente non abolet. Quoties illa leniter flauerit, æternæ verba vitæ agnoſcuntur, & quod ictum eſt aqua baptiſmatis fœdus cum Chriſto, non frangitur. Felix deſinit nauigatio Mundi, & ſaluæ operum merce ſalutis appellitur portus. Pendet ex illa gaudium vniuerſi, ſine qua ſtatuū captiuitas adeſt, dies ducuntur in fletibus, & organa laudum commendantur ad ſalices.

157

Humanæ vitæ procellas mulcet aura Spiritus ſancti.

MVlcet humanæ vitæ procellas aura Spiritus ſācti. Impetus, turbineſque Aquilonis expellit antiqui, & verborum humilitate quietem captare docet. ſpumantes tentationum fluctus virtutis imperio premit: concitatos errorum nymbos diſciplinæ apparatu profligat. Nubes, & tenebras, quas expandit effrænata cupiditas, charitatis odio fugat, ra-

pidos vitiorum tremitus ſuperat fide: audacẽ ſenſuum inſolentiam coercet ſpe. O quot inhibet caſus conſilio! ò quot diſcrimina deſpicit fortitudine. Fallitur quiſquis aure neſcius huius humanum iter ingreditur. Aduerſorum inſidijs concidet victus, & ſalutis compos nõ erit.

158

Homo, ſi Spiritui ſancto reſtiterit, homo non eſt.

HOmo, qui natura mundum, & elegans animal eſt, ſi Spiritui ſancto reſtiterit, in monſtrum vertitur ſordidum, & deforme. Nullam oſtendit hilaritatem in vultu, quando expellit è fronte pudorem, & ex oculis laſciuiam iactat, & rabiem, quando exagitat iracundia nares, & ignominijs implet os: quãdo ad iniuſtitias excitat greſſus, & manibus meditatur rapinas. Quando ablegat à mente conſilium, & in corde non collocat fortitudinem. Munditia morum homo differt à belluis, titulumque humanitatis ſibi comparat actuum elegantia. Fruſtra mundis induitur veſtibus corpus, ſi verſatur in ſordibus animus. Nequicquam ornatu eleganti exteriora fulgeſcunt, ſi rationi interiora non congruũt.

159

Confuſionem expectet, qui Spiritus ſancti ſub vmbra non viuit.

PVdeat vitæ, & lucem, & ſidera intueri non audeat, qui Spiritus ſancti ſub vmbra non viuit, & flamma ſuccenſus tàm ſalutari non æſtuat. Paciſcatur inſanè felicitatẽ cum terra, & arroganter inuehatur in cęlum.

Nil

Nil ſperet ab vmbra, quæ Sole lucidior eſt, quæ perpetuùm duratura non præterit. Vilẽ cenſeat flammam, qua cœli coruſcant, cuius ſonitu diuinitatis arcana pateſcunt. Profilire neget ab vmbra quietem: Dominum apparere inficietur in flamma. Vaneſcat, vt vult: arbitratu gelaſcat ſuo. Tandẽ mentis cæcitate ſuffuſus, inter mortuos mortuus conculcetur à tenebris, & aſinariæ molę ligatus demergetur in mare. 160

Nouerca virtutis eſt humana felicitas.

FElicitas, quæ à Spiritu ſancto non prouenit, nouerca virtutis eſt. Illicò fingit in pręcepto laborem, & iuſtificationũ non curric vias. Incedit pede ſuperbiæ, & verba veritatis non audit. Arrogantiam alit ingenio, & libidines ſupercilio contegit. Inflat, irritat, emollit, effœminat. Aſſentatorum corona gaudet, qua fallat affectus: miniſtrorum exultat cœtu, qui prouocet luxus. Nihil in terris eſt felicitate infelicius, ſi vitæ humanę deceptio eſt, & animos mendaciorum contagione contaminat. 161

In Spiritu ſancto duntaxat fidendum eſt, cùm in terris vnaquæque ſpes fallat.

VIuitur ſub incerto, & in craſtinum gloriari non decet. Vnaquaque ſpes fallit in terris. Dediſcunt flumina curſum, & montium fundamenta deficiunt, à principijs cuncta degenerant, & fidem elementa vix ſeruãt. Nil refert fortuna, nil genus. Sapientia ſummum non tangit: in fabulam deſinit fortitudo. Aduenit gens, & præterit. Vita conſtat

ex luto, & in domibus luteis nulla conſtantia. Tu ſolum, qui numeras annos æternitate, vel ſi graderis ſuper aquas, vel ſi ſuper pennas ventorum incedis, ſemper es idem, & à ſæculo vſque in ſæculum es. Tu veri cuſtos, virtutum lumen, ſpira quod eſt, & quod manet, abige à Mundo confuſionem, abole corruptelam, & ſemitas indica veritatis.

162

Imperterritus viuit in mundo, qui ſæculo non conformatur, & ſub vmbra Spiritus ſancti viuit.

QVandiù peregrinamur in mundo, tandiù tuti non ſumus. Foris pugna nos turbat, intus pauor. Rapimur in diuerſa, & exitu iactamur incerto, fortuna vrgemur ancipiti, & huc meamus, & illuc. Dies, & noctes præcordijs palpitantibus viuimus. His, quę fluunt vltrò, citroque nequiter inhiamus, & coniuratis obſidemur affectibus. Simul ac aſpera ſuperamus, deteriora ſuccedunt, & vetus calamitas authoramentum eſt nouæ. Omnes tandem aduerſorum inſidijs frangimur, victique iacemus. Solum imperterriti ſtant, & victoriæ reportant inſignia, qui ſub vmbra Spiritus ſancti vitam ducunt, & nunquam ſæculo conformati, vmbras ſæculi falſas declinant.

163

Non eſt regnum Dei eſca, & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.

FRuſtra Dei regnum exquirunt indulgentes abdomini. Non eſt Dei regnum, nec eſca, nec potus. Quandiù in Spiritu ſancto iu-

ſtitia, & pax, & gaudium eſt nobiſcum, tandiu Dei regnum eſt intra nos. Iuſtitiam poſſidet, qui mandatis obtemperat omnibus: fruitur pace, qui ſenſus mancipat rationi: exultat gaudio, qui nulla peccati labe nigreſcit. Iuſtitiæ ſemita ducit ad vitam: pax eſt electis. Abundant gaudio cœli. Si iuſtitia deeſt, fides abeſt. Si deficit pax, a longè ſpes latet. Si procul eſt gaudium, charitas propè non eſt. Ergo ſi tribus iſtis virtutes tres iſtę non congruunt, nunquam Dei gloria reuelabitur.

164

Repleamini Spiritu ſancto, & non vino.

NOlite inebriari vino, in quo eſt luxuria, ſed repleamini Spiritu ſancto, inquit Apoſtolus. Nam vino mens ad aſtra non eleuatur, & humi ſerpere gaudet. Præcepta violat legis, & futura non pręcauet. Spiritu ſancto bibitur calix inebrians, & præclarus, quo charitatis ferueſcit ardor, & de virtute in virtutem fit tranſitus, & cùm inceditur, nō receditur; quo ſeruitutis vincula diſrumpuntur, & cœli penetrantur arcana. Ex illo vitiorum exardeſcit incendium: ex iſto gratiarum ſuſcipitur incrementum.

165

Sanctificat ieiunia Spiritus ſanctus.

MAnant à Spiritu ſancto ieiunia, à quo lucem accipiunt innocentiæ, & pulcherrimo fulgeſcunt ornatu: à quo diſcút reatuum veniam promereri, & cæleſtium vnguētorum mutuantur odorem. Spiritus cibo, aut potu non eget. Ebrioſis non loquitur, & in-

ter epulas non manifeſtat oracula. Qui inſpirator eſt fidei, ſocius menſæ non eſt; qui ſcientiam docet, ab illecebris abſtinet. Fons dilectionis abhorret à poculis: totius origo virtutis, ventris curam non habet. Ieiuniorum adhibet opem, vt compeſcat impetus vitiorũ, vt ſenſus ad diſciplinam accerſet, vt in cordibus collocet templum Dei. Pacis gloriam ieiunia præparant, aduerſariorum propellunt inſidias, imperant elementis, & cœli reſerãt fores. 166

Perfectioni cognata frugalitas eſt.

CAlcat fauum anima ſaturata, & ſermones eructat infamiæ: eſuriens pro dulci ſumit amarum, & Mundi meditatur extrema. Inimica virtuti ſaturitas eſt, aciem mentis obtundit, & cogitationes ſurſum non eleuat. Quæ facultas eſt diſciplinæ, quando venter exercit imperium? Nulla laudis cupiditas viget, quando ciborum repletione cæcati ſunt ſenſus. Perfectioni cognata frugalitas eſt, vniuerſorum attingit finem, & beatitudinem non agnoſcit in terris. Aliam vitæ ſeriem opperitur, vbi ſatiatur oculus viſu, & auris impletur auditu. 167

Tota hominis ætas eſt altercatio carnis, & ſpiritus.

ALtercatione carnis, & ſpiritus conſumitur ætas hominis. Nullum obſeruatur temporis punctum, quo ſpiritus, & caro non certent. Voluptatis illecebras profert caro, innocentiæ prẽmia ſpiritus pollicetur. O quã procax blanditijs caro laceſſit ſenſus! Inuitat affe-

affectus ad luxum, & ſpiritui molitur inſidias. Tentat aſſiduè corrumpere arcana mentis, & animum molliter effœminare conatur. O quàm ſanctè veterem hominem renouari ſpiritus docet! Arma religionis exercet, & legibus deſideria ſubdit. Veritatis aperit viã, & carnis opera declinare ſuadet. Vt omnes libidine inſaniant, & abdomini ſeruiant, petulanter efflagitat caro. Vt quiſque ſuam crucifigat cum vitijs carnem, & Chriſti morti configuretur, gemitibus inenarrabilibus poſtulat Spiritus.

168

Spiritu ſancto ſignati debent manſuetudine, & patientia gloriari.

IMpetus habeant feræ, rabiem, feritatem, homines verò Spiritu ſancto ſignati manſuetudine glorientur, & patientia. Dedecet humanitate carére, quos à belluis ſecernit humanitas. Quid prodeſt aqua religionis aſpergi, ſi furoris igne abolenda ſunt monumenta pietatis? Ferocitas animi probum in virum non cadit. Ex turbido ſerenum nil venit. Comes conſilij eſt patientia: integritatis magiſtra eſt manſuetudo. Cõgruit altera fortitudini: altera ab intellectu non diſtat. Firmat altera ſpem: altera præparat vitam.

169

Omnes abluti baptiſmatis aqua, fiunt vnum in Chriſto Ieſu.

SPiritus ſancti tanta vis eſt, vt ablutos baptiſmatis aqua, quoſcunque confeſtim in Chriſto Ieſu conficiat vnum. Non differt ſeruus à libero, neque maſculus diſtat à fœmi-

na. Viuit cor vnũ, atque anima vna in credẽtium multitudine. Eodem in campo, eodemque perfuſus oleo pugnat miles, pugnat dux: idemque brauium, eodemque in vitæ curriculo poſcit pauper, poſcit rex. Intraturos in conuiuium nuptiarũ veſtis eadem decet omnes. Ne ſuccumbant aduerſis, omnes charactere ſignantur eodem: omnes per adoptionẽ filij Dei fiunt. 170

Laudabilis eſt ira, quando legum eſt cuſtos.

IRaſcimini, ſed nolite peccare. Ira diuino non repugnat amori, cùm non prolabitur in peccatum. Sapit adhuc naturam ignis, & legum eſt cuſtos. Laudabili affectu punit delicta, & rationi ſubijcit delinquentes. Semper vtilis eſt, ſi ſuper ipſam non occidit Sol: ſi conſilio paret, & à iuſtitia non recedit. Ira terretur malorum audacia. Qui caret ira, cũ oportuerit iraſci, languidus eſt. Qui lacte veſcitur improborum, dominicæ domus zelo non vritur. 171

Congregatos in vnum diligit Spiritus ſanctus.

DIligit Spiritus ſanctus congregatos in vnum, odit in diuerſa labentes, ſoluit vinculum charitatis diſcordia, & progignuntur è diuiſionibus ſcandala. Quid amabilius vnione, quid diuiſione pernicioſius? E vocum concordia ducitur harmonia, è meditatione diſcordiæ proueniunt rixæ. Abeſt Deus, cùm abeſt vnio. Quæ diſſident inter ſe, cum veritate non congruunt. Quonam modo vna regnabit fides, vbi diſſimilium diſſimilis eſt affectus, & diuerſorum diuerſus eſt vſus? Vnitas

tas cũ diuinitate concordat. Id enim eſt maximum, idque dicitur optimum, quod vnum eſt numero. Surgit diſſcuſio ſtatim, ac tranſitur in plura. Sequitur inæqualitatem inuidia; ſimilitudinem vnitati finitimam amicitia.

172

Vbi charitas, ibi perfectio.

VInculum perfectionis eſt charitas. Particeps perfectionis non eſt, qui charitatis eſt expers. Perfectio, quæ totum amplectitur, haberi nequit, cùm charitatis defectus adeſt. Aſſidet totum in charitate, ſiquidẽ charitas continet Deum. Quid vnquam deeſſe poteſt, vbi præſens rutilat Deus? Votorum acceſſit ad metam, qui charitatis inſignitus eſt nodo. Nodo charitatis infertur vis Deo. Fructum charitate pretioſiorem ſpiritus non produxit.

173

Amor complementum eſt legis.

NOn eſt poſita iuſto lex. Qui amat, liber eſt. Ceſſat vinculum legis, vbi paratur amoris nexus. Amor complementum eſt legis. Diſcipulorum Chriſti character dilectio eſt. Perfectionis aſſecutus eſt metam, qui charitatis amore languet. Quicunque dilectionis abundat æſtu, plenus eſt varietate virtutum.

174

Ignoratur amor, vbi muſica ignoratur.

AMor muſicam docet, & ideò impedienda non eſt. Nomen amoris maius eſt õni lege. Nil proficiſcitur ab amore, quod nõ ſit ſanctum. Sanctum eſt quicquid concordiã ſonat, quicquid redolet harmoniam. Muſicæ

finis eſt, voces acutas concordare cum grauibus, & ex vtriſque harmonicum conflare concentum. Muſicæ gratia ſenſus externi reſpondent internis, & congruenter à ratione non diſcrepant. A' muſicæ ſtudio dedidicere elementa diſſenſiones. Concentum cœli negare quis poteſt? Ignoratur amor, vbi muſica ignoratur. Apud inferos tantum muſica locum nõ habet, vbi diſcordia regni non admittit amorem, vbi ſempiternus inhabitans horror menſuram aſpernatur, & ordinem.

175

Quare per impoſitionem manuum Spiritus ſanctus accipiatur?

ACcipitur Spiritus ſanctus per impoſitionem manuum, vt ſciat, qui eum acceperit, apud ſe tandiù permanere, quandiù miſericordiæ non deſtiterit ab operibus. Cum alienis à charitate non habitat. Vbi charitas, ibi ſpiritus. Diligit laborantes, & operoſos, quia nutrit patientiam labor, & virtutis index eſt opus. Indiget operis cultu diuinus ager: feſtinos operarios vocat cæleſtis agricola. Illicò ceſſat iniquitas, quando non eſt otioſa iuſtitia, & locum non habet zizania, quando vigil ſolicitudo cuſtodit meſſem.

176

Vbi Spiritus ſancti flamma, ibi nulla graduum differentia.

ALterutri ſeruire inuicem charitas ſpiritus docet. Nulla eſt graduum differentia, vbi flamma ſpiritus feruet. Scitur omnes Chriſti libertos eſſe, liberum neminem. Obliuiſci

uiſci non decet, depoſuiſſe per gratiam, quicquid hauſtum eſt per naturam. Gloriari quis poterit bonis frui, quorum Deus largitor nō ſit? Quæ Deum nō habet authorem, ſapientia perditur. Quę tabulis non innititur mandatorum, prudentia reprobatur. Surripit fur theſauros, quj non congeruntur in cœlo. Inſtar fumi vaneſcunt honores humilitate carētes.

177

Infuſio Spiritus ſancti plenã affert benedictionē.

PLena non eſt benedictio, vbi ſancti Spiritus non adeſt infuſio. Infundit Spiritus ſanctus copiam gratiarum. Benedictionis exhibet paradiſum, & inundat, vt fluuius. Semper plurimum deficit, vbi diuinæ virtutis vmbra deſideratur. Humana natura animum ſatiare non poteſt, cùm nil ſibi vendicet plenitudinis. Competit æternæ potentiæ complere, quod cupit. Animus, qui terrena non ſapit, cæleſti tantummodò paſcitur rore, gaudetque flammis agitari ſupernis, & Sanctorū ebrietati ſuccumbere.

178

Purgatus igne Spiritus ſancti, nō ſe coinquinet.

NIl tangat immundum, qui ſemel igne Spiritus ſancti purgatus eſt. Lux cum tenebris non participet, iuſtitia cum iniquitate non coeat. Cuſtodiat ille vas ſuum ſanctitatis honore refertum, ſacramentorum odore conſperſum. Sordium inimicus exalbeſcat, vt lilium: charitatis amator erubeſcat, vt roſa. Incorruptionem corruptibile diſcat: immortalitatem mortale. Portendat crucem in

fron-

fronte, & Ieſum hoſpitetur in corde. Gaudeat ſtolam meruiſſe primam, & ad innocentiæ ſtatum remeaſſe priorem. Exultet viam deſpexiſſe miſeriæ, & tranſiſſe de turpitudine ad gloriam. Glorietur reuixiſſe, quod iam perierat. Prægeſtiat hyemem abijſſe, & terram, quæ niuibus obruta peccatorum aruerat, flores iterum produxiſſe virtutum.

179

Apud Deum non progredi, eſt regredi.

NVnquam reuertitur, qui graditur impetu ſpiritus. Incepto labore non solũ regredi, ſed etiam reſpicere retro, ineptiam ſonat ad regnum. Deficit, qui non proficit: perdit, qui nihil acquirit: reprobus fit, qui probatior non euadit. Nec dilatatur, nec socalet cor, quando viam mandatorum nõ currit. Caret greſſibus fidei, qui ſentit vnguentorum odorem & iacet. Pennas columbæ nõ appetit, qui de virtute in virtutem non it, & ſtudia negligit charitatis. Exigit meritorum conditio, vt ſemper de prioribus pereat, cùm identidem aliquid non fuerit adiectum, & præteritorum, plerumque gratia ceſſet, cùm recentia floreſcere non appareant.

180

Donum Spiritus *ſancti eſt animi firmitas.*

QViſquis leuis eſt corde, rectè nequaquã facit, conſilio vacat, nec æqui, nec boni conſulit. Radices in veritate non agit, & vento agitatus omni præparatur ad lapſum. Donum eſt Spiritus ſancti firmam in animo retinere ſententiam, & à iuſtitiæ nunquam

reſi-

reſilire propoſito. Qui Spiritus ſancti ducitur aura, conſcientiæ ſolummodò meditatur nitorem, & in lumine videt lumen. Flocci facit iniurias, nihili honores. Fortunæ non ſe tradit arbitrio, & morſui famæ non credit. Cùm creditur famæ, fit crimen de fabula. Fama, quæ probationes, & argumenta non habet, calumniæ genus eſt. Mendacij ſoror ortum ſumit ab iniquitate ſermonum, tantò fallacior, quantò plus vero ſimilior. Graditur cum errore, vireſque acquirit errando. Semper opem implorat audaciæ, & malignitati nititur auditorum. Apud ſapientes locum non inuenit, & cum vulgo, qui viuit affectibus, commoratur. 181

Conſcientiam approbat Deus, famam populus.

CONſulendum eſt conſcientiæ magis, quā famæ. Suſque deque de fama, cùm conſcientiæ puritas adeſt. Melius eſt eſſe, quàm dici. Conſcientiæ probitas mendacia famæ nil curat. Famam approbat populus, conſcientiam Deus. Conſcientiæ fundamentum eſt veritas, famæ credulitas. Lucet illa nixa iuſtitiæ, iſta tantum opinioni. Creſcit, & gaudet illa verbis, & dictis inanibus: iſta, cùm ſibi mendax eſſe non poſſit, niſi veram virtutem habeat ducem, nec reſpirat, nec acquieſcit. 182

Spiritu ſancto docente animam vocamus ad calculum.

QVoties, cùm Sol occidit, animamque vocamus ad calculum, Spiritu ſancto docente eam interrogamus, hodiè quid egiſti?

ſti? ſtatuiſti te ſupra te? coegiſti ſenſus tuos ſub iugo? alliſiſti paruulos tuos ad petram? Qua labe peccati purgata es? Quod vitium expuliſti? Qua parte lucidior facta es? Æquaſtine lachrymis verba? Direxiſtine frœno iuſtitiæ greſſus? Subdidiſti fortaſſe mores, vel virga, vel baculo? In medio cordis legem non collocaſti? Viam mandatorum non cucurriſti? Finxiſti in præcepto laborem, & dixiſti non ſeruiam? Magiſtro Spiritu ſancto ad tale perducimur exercitium, & integritatis auidiores, laudabilius operamur, & virtutum amore ſuccendimur.

183

Queritur de Spiritu *ſancto, qui de ſua ſorte, ſuaque magnitudine dolet.*

RErum omnium Spiritum ſanctum non credit authorem, qui ſua de ſorte, ſuaque de magnitudine dolet. Ad Spiritum ſanctum pertinet quæque donorum diuidere ſingulis, prout vult. Spiritu ſancto non approbante fruſtra quęruntur honores, diuitię congeruntur incaſſum. Nil iuuat exurgere in plãtas, in ſummis digitis ambulare nil prodeſt. Idem eſt, ambitionis doctrina ſtatum extollere, ac ope mendacij adiuuare ſtaturam. Irriſioni ſpectatur obnoxius, qui ſuæ vult niti prudentiæ. Prudentiæ ſedes eſt caput, ſed caput illud, in quo Spiritus ſancti rutilat benedictio.

184

Donum datur cum fœnore.

QVi datum eſt multum, multum petetur ab eo. Cui data eſt nobilitas ſanguinis, ab

ab illo quæretur nobilitas actionum. Cui cõceſſæ ſunt dignitates; quæretur ab illo, an vitijs inſeruierit, cùm alijs imperauerit. Cui tributa eſt opum facultas, quæretur ab illo, quot aluerit egenos, quot texerit nudos. Cui delatum eſt ſapientiæ lumen, quæretur ab illo, quot docuerit ignaros, quot correxerit impios. Nullum ſine fœnore donum. Omnia ſuo ſunt referenda principio. Suus ab vnoquoque recognoſcendus eſt author. Qui fôs, qui fluuiis mari vectigal non retulit?

185

Sæculi bona mendacia, cęli vera, & ſempiterna.

QVem terrena delectant, æternorum cura non tangit. Mendacijs nititur, & paſcere ventos conatur. Cuncta ſæculi bona, ventorum inſtar, prætereunt. Veſtigium nullibi remanet gaudiorum. Gloria dignitatum euaneſcit, vt fumus: opum, prędiorumque poſſeſſio mentitur, vt vmbra. Inanis eſt nominis fama: mendax eſt formæ venuſtas. O quãtum pœnarum, ò quantum laborum exigit humana caducitas! Deſiderium non complectur, quin genuerit ærumnas: non acquiritur munus, quin initium ſit malorum. Felix, qui mundi illecebris non obſtrictus, immò telluris impatiens columbæ pennas exoptat, vt volaturus ad aſtra quieſcat, vbi diuitias, & honores veritas parat: voluptates, & laudes adornat æternitas. 186

Animus præferendus eſt corpori.

COrporis bona ſeneſcunt, non animi. Annorum onere corpus grauatur, non ani-

mus. Illud funeri obnoxium, ſentit ætatis iniuriam: iſte natus æternitati, temporum viciſſitudines non experitur. Semper viget exultans, ornatumque varietate virtutum fit Templum Spiritus ſancti. Vilibus mundi nō acquieſcit illecebris, ſurſum aſſurgit, vt flamma, & expers quietis, vitæ auidus melioris appetit cęlum. Væ cui plus eſt corporis, quā animi cura! Sapit contemptus corporis libertatem, contemptus animi ſeruitutem. Qui præfert animo corpus, de mortalitate nil credit. Alia eſt animi origo, alia corporis. Animus immortalitatis eſt capax, corpus corruptionis.

187

Exercitio virtutum paratur vera felicitas.

SI ex honeſtatis humanæ ſplendore felix ducitur vita, è lumine Spiritus ſancti, quę beatitudinis plenitudo deueniet? Parum eſt à mundi doloribus feriari: nihil eſt dignitatum honoribus inſigniri. Exercitio virtutum hæreditatis non defecturæ pignus accipitur, & copia voluptatum in animo gignitur. Quid eſt conſcientiæ tranquillitate felicius? Quid eſt innocentiæ ſecuritate beatius? Vbicunque adeſt ſummi boni cognitio, confeſtim æternæ ſuauitatis hauritur odor, ſupernorum expoſcitur conuerſatio. Quæ ſunt in terris pretioſa, vileſcunt. Vetus negatur homo, & Chriſtum libet induere crucifixum.

188

Peruerſè viuitur, ſi ſub lege Spiritus ſancti non viuitur.

Per-

PErperam viuitur, ſi ſub lege Spiritus ſancti non viuitur. A luce non ſecernitur vmbra, & noctis, & lucis peruertuntur officia. Quicquid eſt noctis, tribuitur luci, & quod ſpectat ad lucem, vſurpat nox. Quæritur hyeme, quod procreat ver, & concupiſcitur vere, quod gemmat autumno. Quæ ſua ſunt, omittuntur, quæ ſunt aliorum, optantur. O ſenſus, ò mores! In iuuene perit humanitas, in ſene deſideratur maturitas. Semper, aut vetitum, aut, quod à populo diſtat, expoſcitur. Totos dies obruitur obliuione prudẽtia, & in animo locum non inuenit lex.

189

Flendum eſt tempore iniquitatis

TEmpore, quo regnat iniquitas, abſconditur ignis Spiritus ſancti, & bene ſeruatur, ſi commutatur in lachrymas. Ita conuerſum in aquam craſſam Neemias ignem inuenit abſconditum: cùm redeunt dies gratiæ, foris expromitur, & ignis naturam exprimunt aquæ. Quandiù viget calamitas, & multis vndique cincta periculis religio contremiſcit, organa ſuſpenduntur ad ſalices. In terra aliena, vbi ſilentium decet, cantus in ore non conſonat. Sat eſt amoris antiqui incorruptam ſeruare memoriam, & oculis agere cauſam. Veniet tandem dies, qua lachrymę igneſcent, vehementi perſtrepent ſonitu, & deſerti ſpecioſa comburent.

190

Mendacium audit, qui mendacium loquitur.

NOn aſpernatur audire mendacium, qui dicere veritatem non conſueuit. Expers veritatis ſemper mendacij particeps eſt. Quid mirum eſt aures demõſtrare corruptas, quando mendacij corruptela deprauatum eſt cor? Mendacium non gaudet audire, qui prius non gauiſus eſt loqui. Mendax ſeruili naturæ finitimus eſt, & perditionis vocari vult filius. Ab hoſte nil differt, & ſenſus per omnes combibit impietatem. Diligit fraudes,& dolos, & maxima verſatur in inconſtantia. Mendacij magnitudine fidem captat, & adhuc in fabulis nanciſcitur crimina. Gloriatur paſcere ventos, & diù non perdurare non curat.

191.

Pompa, & faſtu Spiritus ſanctus gaudet.

POmpas execratur, & faſtus,qui ſolo ſimplicitatis lætatus ornatu, victimas reſpuit ſuperborum, munera ſuſcipit columbarum. Abſque humilitatis amictu non itur ad ſanctuarium. Terram ſanctam non calcat,qui de pedibus calceamenta non ſoluit. Nemo ſuperbiam faciens in domo Domini, viſus eſt commorari. Grandia quærit incaſſum, qui ruinę deuotus expectat exitium. Sunt crimina, ſunt pericula faſtus, & pompæ. Coinquinant animos, & non ornant, quæ perditionẽ inferunt vanitatis illecebra. Pietatis excludunt officia, & ſacrilegiorum includunt errores. Quis negabit amitti ſimilitudinẽ Dei, cùm induitur perſona diaboli. O hominum miſeranda conditio, quorum plerumque labores, & ſumptus parant fabulas, & ludibria.

Cha-

192

Charitate Spiritus inuicem ſeruire tenemur omnes.

QVid de primatu contenditur, ſi charitate ſpiritus inuicē ſeruire tenemur omnes? Erit magiſter, qui maior: maior, qui humilior, quia gloriam præcedit humilitas. Humilitas, cuius effectus eſt ſalus, baſis virtutū eſt, gratiæ receptaculum eſt. Animi magnitudinem iactat, cùm concordiæ cuſtos eſt: beatitatis principium docet, cùm dilectionis eſt nutrix: Fulgeſcit, vt lumen, & vbique relinquit veſtigia gaudij: Cupit in nihilum verti, quando floreſcit, vt lilium; & gaudet latere, quando vndique emittit ſuauitatis odorem.

193

Omnis poteſtas à Spiritu ſancto.

FErenda ſunt quorumcunque præpoſitorū ingenia. Eſt quædam diuinitatis in præpoſitis efficacia. Poteſtas omnis è Spiritu ſancto dependet, & Numinis aliquid ſapiunt decreta regum, & iudicum. Fortè homo, qui Dei ſuperbit ſimilitudine, niſi demandatum à Deo crederet iugum, non ſuſtineret. Homo ille, qui ſua perſpiciens è Dei manu primordia, Dei præfert imaginem animo, & de ſcientia doctus à Deo, fulgentiſſimum ſapientiæ lumen oſtentat in vultu. Qui paulò minus diminutus ab Angelis, nouit eius capiti germinare coronas, ſub eius pedibus iacere fatum; Cui primum ſedem obtulit paradiſus, hæreditatem parauit cœlum; Cui iugiter tēpora morem gerere, & plena ſtuporis volui

ſæcula didicerunt. Homo ille, qui Domini renunciatus delicium, ſcit cum Domino fœdera pacis pangere, ſuique Dominum appellare cuſtodem. Qui bene conſcius ſui roboris, niſi morti cederet, nulli penitus cederet; cuius cor duntaxat ſcrutatur Deus, qui veſtigat abyſſum; cuius iter non mundi caduca retardant, ſed domus æternitatis tantummodò terminat; cuius conſilio ſeruiunt aſtra, cuius legibus elementa parent, cuius diſputationi mundus totus eſt traditus. Non habes, ò Tellus, arcanum, quò ille non penetret? ſinum, vnda, non condis, quem ille nõ luſtret? Quid efferaſcitis belluę, ſi vos ab illius catena non vindicat feritas? Quid Amphitritis viſceribus latitatis ſquamigeri greges, ſi vos ab illius rete gurges aquarum non liberat? Capax tantæ ſublimitatis humana natura eſt, cuiuscunque reſiſteret poteſtati, niſi voluntati Spiritus ſancti reſiſtere pertimeſceret.

194
Qui diſtat à Spiritu ſancto, cum ratione non conuenit.

HOneſti comes eſt ratio, ſine qua nihil eſt bonum, à qua lex animam accipit, cui conſilium nititur, cui ſeruire libertas eſt. Imitatur naturam, & nutu naturæ ſe gerit. Perfectionis appetit laudem, & longè abhorret à vitijs. Lumen eſt vitæ, quo patet doctrina ſalutis, & tenebrę refelluntur errorum. Nunquam maledictum agnouit, ſemper in benedictionibus coaleſcens. Gratię decoratur ornatu, fortitudinis potita ſplendoribus. Vni-

cui-

cuique beatitudinem pollicetur, & neminem fraudat optatis. Sed qui Spiritui ſancto non congruit, cum ratione non conuenit. Puritatem non condit in pectore, & flores honeſtatis non colligit.

195

Quid eueniat ex anguſtia Spiritus.

VBi eſt anguſtia Spiritus, ibi nec diſciplina, nec lex. Ibi ſtulta eſt loquutio, & verba diſciplinam non ſonant: cogitata ſũt vana, & legibus vota non parent. Ibi charitas dilatari non poteſt, & excidit: florere ſpes neſcit, & deficit: germinare obliuiſcitur fides, & ſterileſcit. Non intelligit animus bona, quibus innectitur virtus: turpia, quibus coniungitur vitium. E' conſcientię prauitate procedit anguſtia ſpiritus. Amplitudine ſpiritus claret, ſi conſcientia culpis purgata reſplendet. Virtutum cultura ſpiritus excitatur. Vt vincitur cura, & cultu ſterilitas ſoli, ſic religione, & pietate ſuperatur anguſtia ſpiritus.

196

Qui concepit Spiritum, ſegnis eſſe non debet.

INſtar terræ cur non concutimur, ſi concepimus Spiritum? Quid tàm ſegnes? Satis vacui ſumus, ſi vanitatibus ſolummodò pleni meditamur inania? Vtinam repentino cordis hiatu noſter amor erũperet palã! Noſtra quidem cerneretur inſcitia, dum fremimus arrogantiæ ſtrepitu, & peruerſum promulgamus ingenium; cùm caleſcimus iracundię flammis, & ruimus ad interitum. O nos [illegible] vanos, & ęternę ſalutis immemores! Hauſto ſpiritu intuemur elementa agitari, & ab ele[illegible]entis non

fronte, & Ieſum hoſpitetur in corde. Gaudeat ſtolam meruiſſe primam, & ad innocentiæ ſtatum remeaſſe priorem. Exultet viam deſpexiſſe miſeriæ, & tranſiſſe de turpitudine ad gloriam. Glorietur reuixiſſe, quod iam perierat. Prægeſtiat hyemem abijſſe, & terram, quæ niuibus obruta peccatorum aruerat, flores iterum produxiſſe virtutum.

179

Apud Deum non progredi, eſt regredi.

NVnquam reuertitur, qui graditur impetu ſpiritus. Incepto labore non ſolũ regredi, ſed etiam reſpicere retro, ineptiam ſonat ad regnum. Deficit, qui non proficit: perdit, qui nihil acquirit: reprobus fit, qui probatior non euadit. Nec dilatatur, nec cõcalet cor: quando viam mandatorum nõ currit. Caret greſſibus fidei, qui ſentit vnguentorum odorem & iacet. Pennas columbæ nõ appetit, qui de virtute in virtutem non it, & ſtudia negligit charitatis. Exigit meritorum conditio, vt ſemper de prioribus pereat, cùm identidem aliquid non fuerit adiectum, & præteritorum, plerumque gratia ceſſet, cùm recentia floreſcere non appareant.

180

Donum Spiritus *ſancti eſt animi firmitas.*

QVisquis leuis eſt corde, rectè nequaquã facit, conſilio vacat, nec æqui, nec boni conſulit. Radices in veritate non agit, & vento agitatus omni præparatur ad lapſum. Donum eſt Spiritus ſancti firmam in animo retinere ſententiam, & à iuſtitiæ nunquam

reſi-

reſilire propoſito. Qui Spiritus ſancti ducitur aura, conſcientiæ ſolummodò meditatur nitorem, & in lumine videt lumen. Flocci facit iniurias, nihili honores. Fortunæ non ſe tradit arbitrio, & morſui famæ non credit. Cùm creditur famæ, fit crimen de fabula. Fama, quæ probationes, & argumenta non habet, calumniæ genus eſt. Mendacij ſoror ortum ſumit ab iniquitate ſermonum, tantò fallacior, quantò plus vero ſimilior. Graditur cum errore, vireſque acquirit errando. Semper opem implorat audaciæ, & malignitati nititur auditorum. Apud ſapientes locum non inuenit, & cum vulgo, qui viuit affectibus, commoratur. 181

Conſcientiam approbat Deus, famam populus.

CONſulendum eſt conſcientiæ magis, quã famæ. Suſque deque de fama, cùm conſcientiæ puritas adeſt. Melius eſt eſſe, quàm dici. Conſcientiæ probitas mendacia famæ nil curat. Famam approbat populus, conſcientiam Deus. Conſcientiæ fundamentum eſt veritas, famæ credulitas. Lucet illa nixa iuſtitiæ, iſta tantum opinioni. Creſcit, & gaudet illa verbis, & dictis inanibus: iſta, cùm ſibi mendax eſſe non poſſit, niſi veram virtutem habeat ducem, nec reſpirat, nec acquieſcit. 182

Spiritu ſancto docente animam vocamus ad calculum.

QVoties, cùm Sol occidit, animamque vocamus ad calculum, Spiritu ſancto docente eam interrogamus, hodiè quid egiſti?

ſti? ſtatuiſti te ſupra te? coegiſti ſenſus tuos ſub iugo? alliſiſti paruulos tuos ad petram? Qua labe peccati purgata es? Quod vitium expuliſti? Qua parte lucidior facta es? Æquaſtine lachrymis verba? Direxiſtine frœno iuſtitiæ greſſus? Subdidiſti fortaſſe mores, vel virga, vel baculo? In medio cordis legem non collocaſti? Viam mandatorum non cucurriſti? Finxiſti in præcepto laborem, & dixiſti non ſeruiam? Magiſtro Spiritu ſancto ad tale perducimur exercitium, & integritatis auidiores, laudabilius operamur, & virtutum amore ſuccendimur.

183

Queritur de Spiritu ſancto, qui de ſua ſorte, ſuaque magnitudine dolet.

RErum omnium Spiritum ſanctum non credit authorem, qui ſua de ſorte, ſuaque de magnitudine dolet. Ad Spiritum ſanctum pertinet quæque donorum diuidere ſingulis, prout vult. Spiritu ſancto non approbante fruſtra quęruntur honores, diuitię congeruntur incaſſum. Nil iuuat exurgere in plãtas, in ſummis digitis ambulare nil prodeſt. Idem eſt, ambitionis doctrina ſtatum extollere, ac ope mendacij adiuuare ſtaturam. Irriſioni ſpectatur obnoxius, qui ſuæ vult niti prudentiæ. Prudentiæ ſedes eſt caput, ſed caput illud, in quo Spiritus ſancti rutilat benedictio.

184

Donum datur cum fœnore.

CVi datum eſt multum, multum petetur ab eo. Cui data eſt nobilitas ſanguinis,

ab

ab illo quæretur nobilitas actionum. Cui cõceſſæ ſunt dignitates; quæretur ab illo, an vitijs inſeruierit, cùm alijs imperauerit. Cui tributa eſt opum facultas, quæretur ab illo, quot aluerit egenos, quot texerit nudos. Cui delatum eſt ſapientiæ lumen, quæretur ab illo, quot docuerit ignaros, quot correxerit impios. Nullum ſine fœnore donum. Omnia ſuo ſunt referenda principio. Suus ab vnoquoque recognoſcendus eſt author. Qui fõs, qui fluuius mari vectigal non retulit?

185

Sæculi bona mendacia, cęli vera, & ſempiterna.

QVem terrena delectant, æternorum cura non tangit. Mendacijs nititur, & paſcere ventos conatur. Cuncta ſæculi bona, ventorum inſtar, prætereunt. Veſtigium nullibi remanet gaudiorum. Gloria dignitatum euaneſcit, vt fumus: opum, prędiorumque poſſeſſio mentitur, vt vmbra. Inanis eſt nominis fama: mendax eſt formæ venuſtas. O quãtum pœnarum, ò quantum laborum exigit humana caducitas! Deſiderium non completur, quin genuerit ærumnas: non acquiritur munus, quin initium ſit malorum. Felix, qui mundi illecebris non obſtrictus, immò telluris impatiens columbæ pennas exoptat, vt volaturus ad aſtra quieſcat, vbi diuitias, & honores veritas parat: voluptates, & laudes adornat æternitas. 186

Animus præferendus eſt corpori.

COrporis bona ſeneſcunt, non animi. Annorum onere corpus grauatur, non ani-

mus

mus. Illud funeri obnoxium, ſentit ætatis iniuriam: iſte natus æternitati, temporum viciſſitudines non experitur. Semper viget exultans, ornatumque varietate virtutum fit Templum Spiritus ſancti. Vilibus mundi nō acquieſcit illecebris, ſurſum aſſurgit, vt flamma, & expers quietis, vitæ auidus melioris appetit cęlum. Væ cui plus eſt corporis, quā animi cura! Sapit contemptus corporis libertatem, contemptus animi ſeruitutem. Qui præfert animo corpus, de mortalitate nil credit. Alia eſt animi origo, alia corporis. Animus immortalitatis eſt capax, corpus corruptionis.

187

Exercitio virtutum paratur vera felicitas.

SI ex honeſtatis humanæ ſplendore felix ducitur vita, è lumine Spiritus ſancti, quę beatitudinis plenitudo deueniet? Parum eſt à mundi doloribus feriari: nihil eſt dignitatum honoribus inſigniri. Exercitio virtutum hæreditatis non defecturæ pignus accipitur, & copia voluptatum in animo gignitur. Quid eſt conſcientiæ tranquillitate felicius? Quid eſt innocentiæ ſecuritate beatius? Vbicunque adeſt ſummi boni cognitio, confeſtim æternæ ſuauitatis hauritur odor, ſupernorum expoſcitur conuerſatio. Quæ ſunt in terris pretioſa, vileſcunt. Vetus negatur homo, & Chriſtum libet induere crucifixum.

188

Peruerſè viuitur, ſi ſub lege Spiritus ſancti non viuitur.

Per-

PErperam viuitur, ſi ſub lege Spiritus ſancti non viuitur. A luce non ſecernitur vmbra, & noctis, & lucis peruertuntur officia. Quicquid eſt noctis, tribuitur luci, & quod ſpectat ad lucem, vſurpat nox. Quæritur hyeme, quod procreat ver,& concupiſcitur vere, quod gemmat autumno. Quæ ſua ſunt, omittuntur, quæ ſunt aliorum, optantur. O ſenſus, ò mores! In iuuene perit humanitas, in ſene deſideratur maturitas. Semper, aut vetitum, aut, quod à populo diſtat, expoſcitur. Totos dies obruitur obliuione prudētia, & in animo locum non inuenit lex.

189

Flendum eſt tempore iniquitatis

TEmpore, quo regnat iniquitas, abſconditur ignis Spiritus ſancti, & bene ſeruatur, ſi commutatur in lachrymas. Ita conuerſum in aquam craſſam Neemias ignem inuenit abſconditum: cùm redeunt dies gratiæ, foris expromitur, & ignis naturam exprimunt aquæ. Quandiù viget calamitas, & multis vndique cincta periculis religio contremiſcit, organa ſuſpenduntur ad ſalices. In terra aliena, vbi ſilentium decet, cantus in ore non conſonat. Sat eſt amoris antiqui incorruptam ſeruare memoriam, & oculis agere cauſam. Veniet tandem dies, qua lachrymę igneſcent, vehementi perſtrepent ſonitu, & deſerti ſpecioſa comburent.

190

Mendacium audit, qui mendacium loquitur.

NOn aſpernatur audire mendacium, qui dicere veritatem non conſueuit. Expers veritatis ſemper mendacij particeps eſt. Quid mirum eſt aures demõſtrare corruptas, quando mendacij corruptela deprauatum eſt cor? Mendacium non gaudet audire, qui prius non gauiſus eſt loqui. Mendax ſeruili naturæ finitimus eſt, & perditionis vocari vult filius. Ab hoſte nil differt, & ſenſus per omnes combibit impietatem. Diligit fraudes, & dolos, & maxima verſatur in inconſtantia. Mendacij magnitudine fidem captat, & adhuc in fabulis nanciſcitur crimina. Gloriatur paſcere ventos, & diù non perdurare non curat.

191

Pompa, & faſtu Spiritus ſanctus nõ *gaudet.*

POmpas execratur, & faſtus, qui ſolo ſimplicitatis lætatus ornatu, victimas reſpuit ſuperborum, munera ſuſcipit columbarum. Abſque humilitatis amictu non itur ad ſanctuarium. Terram ſanctam non calcat, qui de pedibus calceamenta non ſoluit. Nemo ſuperbiam faciens in domo Domini, viſus eſt commorari. Grandia quærit incaſſum, qui ruinę deuotus expectat exitium. Sunt crimina, ſunt pericula faſtus, & pompæ. Coinquinant animos, & non ornant, quæ perditionẽ inferunt vanitatis illecebra. Pietatis excludunt officia, & ſacrilegiorum includunt errores. Quis negabit amitti ſimilitudinẽ Dei, cùm induitur perſona diaboli. O hominum miſeranda conditio, quorum plerumque labores, & ſumptus parant fabulas, & ludibria.

Cha-

192

Charitate Spiritus inuicem ſeruire tenemur omnes.

QVid de primatu contenditur, ſi charitate ſpiritus inuicē ſeruire tenemur omnes? Erit magiſter, qui maior: maior, qui humilior, quia gloriam præcedit humilitas. Humilitas, cuius effectus eſt ſalus, baſis virtutū eſt, gratiæ receptaculum eſt. Animi magnitudinem iactat, cùm concordiæ cuſtos eſt: beatitatis principium docet, cùm dilectionis eſt nutrix: Fulgeſcit, vt lumen, & vbique relinquit veſtigia gaudij: Cupit in nihilum verti, quando floreſcit, vt lilium; & gaudet latere, quando vndique emittit ſuauitatis odorem.

193

Omnis poteſtas à Spiritu ſancto.

FErenda ſunt quorumcunque præpoſitorū ingenia. Eſt quædam diuinitatis in præpoſitis efficacia. Poteſtas omnis è Spiritu ſancto dependet, & Numinis aliquid ſapiunt decreta regum, & iudicum. Fortè homo, qui Dei ſuperbit ſimilitudine, niſi demandatum à Deo crederet iugum, non ſuſtineret. Homo ille, qui ſua perſpiciens è Dei manu primordia, Dei præfert imaginem animo, & de ſcientia doctus à Deo, fulgentiſſimum ſapientiæ lumen oſtentat in vultu. Qui paulò minus diminutus ab Angelis, nouit eius capiti germinare coronas, ſub eius pedibus iacere fatum; Cui primum ſedem obtulit paradiſus, hæreditatem parauit cœlum; Cui iugiter tēpora morem gerere, & plena ſtuporis volui

ſæcula didicerunt. Homo ille, qui Domini renunciatus delicium, ſcit cum Domino fœdera pacis pangere, ſuique Dominum appellare coſtodem. Qui bene conſcius ſui roboris, niſi morti cederet, nulli penitus cederet; cuius cor duntaxat ſcrutatur Deus, qui veſtigat abyſſum; cuius iter non mundi caduca retardant, ſed domus æternitatis tantummodò terminat; cuius conſilio ſeruiunt aſtra, cuius legibus elementa parent, cuius diſputationi mundus totus eſt traditus. Non habes, ò Tellus, arcanum, quò ille non penetret? ſinum, vnda, non condis, quem ille nō luſtret? Quid efferaſcitis bellue, ſi vos ab illius catena non vindicat feritas? Quid Amphitritis viſceribus latitatis ſquamigeri greges, ſi vos ab illius rete gurges aquarum non liberat? Capax tantæ ſublimitatis humana natura eſt, cuiuscunque reſiſteret poteſtati, niſi voluntati Spiritus ſancti reſiſtere pertimeſceret.

194

Qui diſtat à Spiritu ſancto, cum ratione non conuenit.

HOneſti comes eſt ratio, ſine qua nihil eſt bonum, à qua lex animam accipit, cui conſilium nititur, cui ſeruire libertas eſt. Imitatur naturam, & nutu naturæ ſe gerit. Perfectionis appetit laudem, & longè abhorret à vitijs. Lumen eſt vitæ, quo patet doctrina ſalutis, & tenebre refelluntur errorum. Nunquam maledictum agnouit, ſemper in benedictionibus coaleſcens. Gratie decoratur ornatu, fortitudinis potita ſplendoribus. Vnicui-

cuique beatitudinem pollicetur, & neminem fraudat optatis. Sed qui Spiritui ſancto non congruit, cum ratione non conuenit. Puritatem non condit in pectore, & flores honeſtatis non colligit.

195

Quid eueniat ex anguſtia Spiritus.

VBi eſt anguſtia Spiritus, ibi nec diſciplina, nec lex. Ibi ſtulta eſt loquutio, & verba diſciplinam non ſonant: cogitata ſũt vana, & legibus vota non parent. Ibi charitas dilatari non poteſt, & excidit: florere ſpes neſcit, & deficit: germinare obliuiſcitur fides, & ſterileſcit. Non intelligit animus bona, quibus innectitur virtus: turpia, quibus coniungitur vitium. E' conſcientię prauitate procedit anguſtia ſpiritus. Amplitudine ſpiritus claret, ſi conſcientia culpis purgata reſplendet. Virtutum cultura ſpiritus excitatur. Vt vincitur cura, & cultu ſterilitas ſoli, ſic religione, & pietate ſuperatur anguſtia ſpiritus.

196

Qui concepit Spiritum, ſegnis eſſe non debet.

INſtar terræ cur non concutimur, ſi concepimus Spiritum? Quid tàm ſegnes? Satis vacui ſumus, ſi vanitatibus ſolummodò pleni meditamur inania? Vtinam repentino cordis hiatu noſter amor erũperet palã! Noſtra quidem cerneretur inſcitia, dum fremimus arrogantiæ ſtrepitu, & peruerſum promulgamus ingenium; cùm caleſcimus iracundię flammis, & ruimus ad interitum. O nos vanos, & ęternę ſalutis immemores! Hauſto ſpiritu intuemur elementa agitari, & ab elementis non

diſcimus contremiſcere.

197

Celeritas argumentum eſt gratiæ.

NEſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia. Affectus non patitur moras. Amor, qui cuncta perficit impetu, naturã edocet ignis. Quis poteſt differre, quod placet? Hoc aurum ignitum, vt quis locuples fiat, emi Saluator ſuadet. Cœlum, quod ſponte ſuæ violentiæ ſubiacet, rapidiſſimo gaudet motu. Omnium rerum innocens gubernatrix celeritas eſt. Non eſt fraudis, nec doli capax, & iuſtitię, & ſimplicitatis amica perambulat cõfidenter. Celeritas argumentum eſt gratię, felicitatis initium, illecebra diſciplinę. Nulla hominum obſeruata velocitas eſt, quæ radijs non coruſcaret imperij. Stolam gloriæ, diadema virtutis pollicetur velocitas. Theſaurus abſconditus eſt, qui non in agro, ſed latet in animo.

198

Qui non ſunt filij lucis, ignem in caudis fouent.

QVi feſtinant, & Dei ſpiritu non ducuntur, flammam ignis, vt filij lucis non alunt in pectore, ſed ignem, vt Vulpes Samſonis oſtentant in caudis. Inſidias machinantur, & dolos, & lucis ignem antè non amant, ſed retrò. Pręgeſtiunt antè laudari tuba, & lucis igne videri retrò. Domini verbum non adhibent, vt lucernam in pedibus. Fermento Phariſęorum ambulant ſaturi, & viduarum, pupillorum domos, & campos euertunt.

199

Nefas eſt quemque à ſuis principijs diſcrepare.

Non

NOn eſt ferendum, vt quiſquis mundi occupetur illecebris, & quotidie ſpiritus ſpiret incaſſum. Audiunt omnes olorum laſciuientium cantum, vox autem cęleſtis Columbę nullius ſonat in auribus. Affluunt populi multitudine theatra, plateæ: templa etiam paucorum concurſu vacant. Quę ſeruãda eſt in medio cordis, procul abijt lex: quæ ſemper vireſcere debet in animo, aruit fides. Exoſa cunctis ſunt Sacramentorum vnguenta: vniuerſos delectant lenocinia vitiorum. O quàm nefas eſt quenquam à ſuis principijs diſcrepare! Vni ſubdamur dominio, qui vnũ confitemur authorem, & vno fidei tegamur velo, qui cœlo circundamur vno.

200

Contra quos Spiritum ſanctum non audiunt.

QVem in cęlo proſpicere deſiderant Angeli, in terris negligunt homines intueri. Species illa, qua cœli ſunt decorati, contemnitur: ſpiritus ille, quo renouata eſt facies terrę, reſpuitur. Heù quàm verè oculos habent, & quæ pertinent ad ſalutem, non vident! Quicquid humana ratio valet, ab illo collatum eſt. Quicquid in rerum natura nitoris apparet, ab illo deſcriptum eſt. Si viuitur, ab illo defluit vita: quęcunque mouentur, ab illo accipiunt motum: quæcunque ſunt, illius gratia ſunt. Nil boni in Mundo, ſi quid eſt boni, promerentur aſpicere, quibus Spiritus ſancti formoſitatem meditari non libet. Oriatur illis obſcurus Sol, & ſine ęrumnarum largitione non occidat. Candidum illis vultu n

203

Multum vixit, qui cum moritur peruenit ad veritatem.

PArũ nõ vixit,qui paucos cùm vixerit annos, ad veritaté peruenit. Maximũ attigit finẽ, quantũuis annorũ breuiſſimũ egerit iter. Hominũ vita nõ ãnis,ſed virtutibus gloriatur. Nil iuuat centũ ſupputaſſe Olympiadas, quãdo nulla laudũ numerãtur inſignia. Pręſtat potius lauro comã pręcingere, quàm canitie. Breuis vita cur erit,quę plena eſt luminibus glorię, quę nunquã ceſſit inertię, & perfectioné didicit à laboribus? Vitę ſpatiũ ille duxit ampliſſimũ, qui veritatis fructus ętate, vel floreſcente collegit maturos. Auctus meritis, non auctus annis in die funeris benedicitur.

204

In fine mundi de operibus charitatis eſt ſermo.

TAnquã inutilis perditur fides, ſi exercitio charitatis nõ copulatur. Semen iactũ in terrã quid prodeſt, ſi fructũ nõ afferat? Nequicquam vela panduntur ventis, cùm nõ appellitur portus. Quando Mũdi fabula iã peracta eſt, de operibus charitatis duntaxat eſt ſermo. Nullius momenti eſt greſſus fluminum retardaſſe: parum eſt pelagi vortices diuiſiſſe: montes tranſtuliſſe non iuuat: Solis curſum retinuiſſe nil releuat. Teſtis bonorum eſt charitas: officia pietatis ſunt argumenta ſalutis.

LAVS DEO.

SENSVS
BREVES
SVPER
MISSA, ET OFFICIO

DICATI

Sanctiſſimo Domino Noſtro

INNOCENTIO XI.

AVTHORE

IO: IACOBO
PALAEMONIO

Epiſcopo Martiranenſi.

Sciliani M. DC. LXXXV.
Per Marium Baronum Romanum
Impreſſorem Episcopalem.

Superiorum Permiſſu.

Sanctiſſimo Domino Noſtro

INNOCENTIO XI.

BEatitudini tuæ, cui benedictio ſine regno, cum regno innocentia nomen impoſuit, breues hos ſuper Miſſa, & Officio ſenſus humiliter offero. Non me latet innocentia, & benedictione carentes ád miſſam, & ad officium non admitti. Peccator, in cuius ore laus ſpecioſa non eſt, Dei iuſtitias enarrare non poteſt. A nominibus tuis benedictionis, & innocentiæ diſcitur via, qua pergitur immolatum ad montes ſanctos; ſi tecum refulſit benedictio in medio terræ, cùm renatus es aqua ſalutis, & innocentia non receſſit ab aula, vbi triplici diademate coronatum eſt caput tuum. Quod de tua Beatitudine dicitur benedictionis, de alio dici nequit, & innocétiæ titulum quamuis vſurpent alij, ſemper vt tuus agnoſcetur in poſterum. Veniſti benedictus in nomine Domini, & innocens maledictionem ablegas à terra. Confugit in ſinum tuum concuſſa religio, & vtilitati religionis incumbens, iugi lætaris labore premi, inſtarque refectionis mutationem laboris exiſtimas. Suſtines vna cum alijs communes temporum vices, & à cæteris, niſi innocentia, & benedictione, non differs. In moribus tuis innocentia nitet: in tuis operibus benedictio rutilat. Sufficit, vt Beatitudinem tuam ſolùmodò

modò contempletur quicunque Deo dignè facturus eſt ſacra. Illicò cœli cortina recluditur, cùm innocentia, & benedictio coruſcant in ſacris. Ergo Beatitudini tuæ munus hoc vile non ſit, cùm tibi, vt ſummo Hierarchæ conueniat; quod ſi alteri dicaretur, benedictionis, & innocentię viam erraſſe viderer, & argumentum ſeiungeretur ab opere. Viue Neſtoreos annos, Beatiſſime Pater, & quandiù Miſſa, & Officium reſonabunt in Téplis, gaude nominibus, & exemplo viam benedictionis, & innocentiæ docere terrarũ orbem. Martirani die 15 Auguſti 1678.

Veſtræ Beatitudinis

Humillimus Seruus

Io: Iacobus Epiſcopus Martirani.

SEN-

SENSVS BREVES

DE MISSA.

SAcratiſſimæ Paſſionis Chriſti ſpectacula referuntur in Miſſa; cuius nomen legationem ſonat ad Cœlum; cuius effectus miſericordiam olet ad homines. Nullus ad tantũ ſacrum accedat, niſi cordis dolore perculſus, niſi mentis ablutione purgatus. Decet domũ Dei ſanctitudo, & ad ſanctitatem accommodandus eſt animus. Scuto bonæ voluntatis õnes diaboli intercludendæ ſunt viæ, omneſq; vitiorum profligandę ſunt acies. Miniſteriũ reconciliationis eſt Miſſa. Humani generis expectata felicitas in Miſſa concluditur. Tãtę virtutis lucem Cœlum non cęlat, quantæ ſalutis pondus continet Miſſa. Præparant animos ornamenta, augent geſta pietatem. Oculorum nictatio non fit, quin mentem attollat ad ſuperos: manuum motus non adeſt, quin terrenorum affectuum detegat ſordes. Excitatur è genibus reuerentia, è totis artubus ſpirat deuotio. O quàm aptè colore nunc albo, nunc rubeo, nunc viridi, nunc nigro, nũc violaceo exprimitur! Gratam eſſe quis neſcit albedinem Deo, ſi ſemper cùm glorioſus in terris apparuit, coopertus eſt niue? innocentiam morum portendit nix; quapropter vincentibus turpitudinem Mundi veſtis ſeruetur alba. Quam magna eſt pręrogatiua candoris, ſi nemo dilectus eſt Deo, niſi qui paſcitur in-

ter lilia! Sed quem diligit Deus, non ſolum eſt candidus, ſed etiam rubicundus electus ex millibus, ideò rubicundus exquiritur color, in quo rutilat charitas, è quo zelus conijcitur domus Dei. Hic naturam ignis aſſumens iactat profuſi ſanguinis fluuios,& ſatietatis eſt inſcius. Gaudet aſcendere in altum, & flocci pendens terrena immortalitatis coronas ambit in cœlo. Conſideratur in viridi ſpecimē militantis Eccleſię, quæ lachrymis irrigata frondeſcit, & flores vbique pollicetur honoris, & honeſtatis. Illic lætatur Columba cæleſtis ſuauiſſimo cantu diffundere copiā gratiarum, & iugis in tanta viriditate prænoſcitur liberorum pudica fœcunditas, quę pro tot cęſis Martyrum exercitibus nunquam definet ſoboleſcere. Comperitur in nigro illorum commiſeratio, qui in fauilla, & cinere pœnitentiam agunt. Leuamen aliunde, quàm è ſacrificijs expectare non poſſunt. Illorum, in ſanguineChriſti ſpes omnis innititur. Mortis in vmbra ſedentibus Solis iuſtitiæ occaſus tantummodò vitę promittit diem. Colorem viola tinctum illa præferunt tempora, quibus omnium votis è cœlo venturus vocatur Rex gentium, quibus elementorũ gemitibus morti turpiſſimæ adiudicandus eſt Deus. Tunc quem nunquam comprehenderunt tenebræ, comprehendunt, & naturæ violandæ ſunt leges. Cœlum vim patietur, & violentis exhibendum eſt regnum. Diuinam planè admiramur virtutem in Miſſa, dum à captiuo genus humanum exoluitur, & a mortuo reuocatur

ad

ad vitam. Qui ſeptus charitate non eſt, fruſtra conatur cęremonias Miſſæ ſcrutari. Qua via curret in odorem cæleſtium vnguentorũ mens grauata criminibus? Quonã modo myſteria tàm ſancta perquiret? Quem non tãgit æternę ſalutis amor, mæſtiſſima paſſionis dominicæ non permouet recordatio. Iacet in imo culparum, & confeſſio nunquam perſonat in inferno. Cantibus non allicitur Angelorum, qui vitam addixit intemperantię. Quẽ non delectat conſiliorum honeſtas, & operũ pulchritudo, nec Prophetarum excitant argumenta, nec Apoſtolorum decreta confirmant. Qui furit immiſſis vitiorum habenis, nec rationi obtemperat, nec virtuti. O quæ congruunt Sacramenta ſecretis! O quæ ſigna reſpondent rebus! Si quando religio ſilentiũ iubet, arcana latitant ſub ſilentio: ſi quando ſublimi voce ſanctorum enuntiantur oracula, peruerſum vox ſublimis non præmonſtrat ingenium: ſi quando attonita ſtant accidentia, nulli affixa ſubſtantiæ, firma diuino parere coguntur imperio: ſi quando totum adeſt in parte, & pars toti non cedit, Euchariſtiæ miraculum quantitati non ſubiacet. Tota crucibus Miſſa referta eſt, ſi Mundi ſalus pendet dũtaxat è cruce. Vt rerum vniuerſitas reuiuiſcat exhilarata, ſponſus ſanguinum crucẽ ducit vxorem, & in dotem accipit mortem. Specie ſalutantis ipſa proditur ſalus, & venenata ſub oſculo mors adornatur. Extinguere Mundi lucem deliberant tenebræ, & illicò vincula inſurgunt, accuſationes, alapæ, irri-

ſiones, flagella, apparatus ad necem. Spineũ cernitur diadema, flammeſcit ſcurrilis purpura, fulget arundineum ſceptrum. Sapientia ipſa reputatur ab improbis maleſana ſtultitia. Heù tormentorum quid nouit artifex crudelitas texere! Crucifigitur Deus, ſpinis abdũtur claui, verberibus vulnera. Ipſe verò tanquam agnus ad victimam ductus, aut ignoſcit, aut obmuteſcit. Felle, & aceto potatus nil profert amari. Non obeſt corporis dolor, vbi virtutum adeſt diuina perfectio. O maxima vis amoris! Leo ille de tribu Iuda, vt ſingulos manſuetudine doceat, commutatur in agnum. Fons ille bonorum omnium, & immortalis origo vitę, vt vnicuique tribuat fauſtitatem, in panem intellectus, & vitæ conuertitur. Intelligimus lignum crucis nunc eſſe miſſum in panem eius, qui non eſt eraſus è terra, eiuſque nomen ſeruat æternitas glorioſum. Beati, qui ſemper hunc panem edũt! beati, qui ad cænam nuptiarum agni vocati ſunt! Corde admodum confortati viriliter agent, & aduerſariorum non ſuccumbent inſidijs: implacabilia carnis ſuperabunt certamina, infeſtos deſideriorum turbines deuitabũt, rapidis irarum flammis non efferentur, elato ſuperciliorum motu non intumeſcent. Accedamus omnes humiliter, & deuotè ad edendum hunc panem. In conuiuio miſſæ, quo lętanter inebriemur, non deficiet vinum. Idem Chriſtus Dominus noſter, vt vino nos repleat, vitem ſe dicit, & idem calcat torcular ſolus, vt nos vindemiarum hilaritate non priuet

net. Sanguinem ſuum toti mundo propinat, & ebrietatem amoris exigit à conuiuijs. At nō eſt particeps huius mēſæ, qui diſſentit à Chriſto. Clamat Chriſtus è Cruce, comedite amici, & bibite. Vobis, qui vitæ æternę non negligitis verba, conceſſum eſt incorruptionē, & immortalitatem induere. Vobis à ligno proſilit gratia, à calice quies. E'patibulo Crucis meę nemo recedit infelix, ſi è vulneribus meis indulgentia profluit affluenter. Meę paſſionis memoria beatitatis interpres eſt. Hoc cibo, quem vobis prodigus offero, melior in mundo cibus non eſt. Mundus nec me videt, nec audit. Ad veſperum flere nolit, & matutinæ lętitiæ pronunciatur indignus. Grande contra cuncta mortalitatis faſtidia amuletum eſt Miſſa, qua Chriſti fimbriam veſtimenti non tangimus, ſed ipſamet Chriſti membra; qua inuiſibiliter ſaginamur, & in nouum hominem inuiſibiliter transformamur. In Miſſa guſtatur abſconditus ille panis ſuauior, calix ille præclarus inebrians, quo ſupernorum comeditur deſiderium, quo bibitur vitiorum obliuio. Beneficio Miſſæ hoſtium compeſcitur furor, & hominum vita amplius non eſt captiuitas, ſed libertas. Huius commemoratione viuimus, mouemur, & ſumus. Omniū rerum floreſcit tuta proſperitas, contrarijs qualitatibus elementa concordant, & gratiarum vbertate fluentia cœli limina reſerātur. Veneremur ergo timoris obſequio, & pietatis affectu tàm ſanctum, tàm mirabile ſacrificium, & amantes, inſtar Magdalenæ, Chri-

ſtum requiramus à Chriſto, ebrijque ſicut Apoſtoli contumelijs pro Chriſti nomine gaudeamus addici. Si Chriſtum lucrifecerimus, ſęculi faſtus, & opes æſtimabimus ſtercora. Cap. 1.

De veſtibus neceſſarijs ad celebrationem.

VEſtes, quibus in celebratione miſſarum Sacerdos induitur, non caſu ſunt ſex, ſcilicet Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Planeta. Ingens copia gratiarū ſenario cōtinetur in numero. Sexto die creatus eſt homo, ſexto die redemptus eſt mundus. A gloria Domini ſex diebus tectus eſt nube mons Sinai. Vocum concordia numero cadit in sexto, qui ternario duplici complicat animi virtutes, & facultates. Secum affert fœcunditatem, & amoris perfectionem vndequaque portendit. Operationem etiam redolet, & laborem, quia vbi amor, ibi labor. Ab hoc numero veſtium commonemur labori, & amori nos eſſe natos. In omnibus laborandū eſt ſuper terram, vt tandem quiete fruamur ęterna: ſemper amandus eſt Deus, ne procul dubio maneamus in morte, & vt cuncta cooperentur in bonum. Sed Seraphim tantum eſt iactare ſex alas, & ſpectat ad lilia redimiri ſex folijs. Cap. 2.

De Amictu.

AMictus, quo Sacerdotis tegitur caput, galea ſalutis eſt, & velum indicat illud oculis Chriſti Domini adiectum, vt prophetaret irrisus. O miſeros, qui ſtultè hoc amiciuntur amictu, & futurum non odorantur: gale-

galeam hanc ſalutis aſſumunt, & beatam non accinguntur ad ſpem. Vltima mundi non vident, & à ſæculi vanitatibus non abhorrent. Abdomini indulgent, & gloriæ æternitatem non appetunt. Fortè ſic putant abſcondere ſcelera! an Deum intueri in abſcondito ignorant? an iaculari in occulto arbitrantur immaculatum?

De Alba. Cap. III.

INcaſſum induunt Albam, qui candidati præſumunt haberi, & iniquitates in pectore fouent innumeras. Dealbato comparantur ſepulchro, quod fętorem effundit intrinſecus. Gloriantur albedine, ſed agni immaculati veſtigia non ſequuntur. Chriſtus Dominus Alba contectus irridebatur, vt demens, nos prędocturus iuſti titulum non acquiri niſi nomini ſuccumbatur dementię. Inter filios Dei renuunt computari, quorum vita non æſtimatur inſania. Non cernit candoris inſignia vulgus. Quonam pacto lumine frui poteſt, qui iacet in tenebris?

De Cingulo. Cap. IV.

COntemplamur in Cingulo funem, quo Chriſtus Redemptor noſter in horto ligatus fuit, & ab illo ligamine diſcitur lumbos præcingere, & continentiam paciſci cum renibus. O quid defluit turpe ex ſenſuum fœditate! Compertum eſt omnem virtutis abeſſe odorem, vbi lilia caſtitatis non germinant. Memoriam, niſi caſtorum, nullā eſſe immortalem. Caret ignominię metu pudicitia, quę carnes timore dominico oſtentans aſperſas,

Illecebrarum faſcino venenato non capitur. Neſcia captiuitatis honeſtas eſt, quæ gratiam parit, & cæleſtem Columbam inuitat in ſinu.

De Manipulo. Cap. V.

CHriſtum columnæ innixum, verberibus cęſum agnoſcimus in manipulo: Subit memoria petræ erumpentis ad ictus nō aquā, ſed ſanguinem. Vtinam noſtrorum cordium adamas agni ſanguine frangeretur, & tot libidinum ſitis efferata deficeret. Nec carnis, nec iræ ſtimularemur incendio: nec ambitionis, nec gulæ abſumeremur illuuie. Illicò vanæ euaneſcunt cupiditates, cùm cupiditates alliduntur ad petram. Spes non cadit ad irritum, vbi petræ fundamen eſt. Prouenit ex virtutum ſoliditate beatitas, quę ſanctorum ſplendoribus coaleſcit, nec inuidia, nec cruciatu concutitur.

De Stola. Cap. VI.

STola hic luctum indicat, & mœrorem: alibi iucunditatem portendit, & gloriam. Denotat funem illum extremum, quo ductus eſt Chriſtus ad mortem, & Crucis figuram expromit. Decenter in pectore Sacerdotis componitur Crux, ſi Chriſti diſcipulus eſt, qui, præter crucem, in mundo poſcebat nihil. Parum gauiſus eſt in præſepio regum muneribus adorari, & fugiens in Ægyptum effectus eſt exul. Annuerat potius obrui à populo ſaxis, quàm in vrbe Rex coronari. Maluit inter tres cruces Caluariæ in monte furua obuolui caligine, quàm inter tria tabernacula in monte Tabor coruſca veſtiri luce. Chriſti diſci-

diſcipulus mundi pompis non inhiat: munditia ſpiritus fruitur, & vitam exigens pœnis vnoquoque temporis puncto conſcientiam vocat ad calculos.

De Planeta. Cap. VII.

IN Planeta reminiſcimur purpuræ, qua Chriſtus indutus fuit, & cernimus in plateis non ſolum, ſed etiam in aula, & in acie corruere veritatem. Purpura irridetur in Rege, quo verior effingi non poterat. Maieſtas deſpicitur hominis, ad inſtar cuius ſub cœlo non eſt. Cęteri mendaces omnes, hic vnus eſt ille, qui verax eſt. Inuenitur lux in hoc vno, alij ſedent in tenebris. Vbique locorum huius vnius reſonat gloria, cui tantum mundi libertas refertur accepta, eiuſque leui, ac ſuaui quicunque caput iugo non ſubdit, libertate non gaudet. Hic vnus omnium dominus, honorum noſtrorum non indiget: corde duntaxat contentus eſt, & bonam in ſolutum accipit voluntatem.

De his, quæ requiruntur in ſacrificio Miſſæ. Cap. VIII.

DEcem ſunt, quæ requiruntur in ſacrificio Miſſæ. Altare, Calix, Patena, Sacerdos, Liber Euangeliorum, panis, vinum, aqua, corporale, & candelæ. Immenſę religionis, multiplicíſque potentiæ eſt, numerus decadum, cum quo conuenit circulus, cui reſpondet infinitas; qui cæleſtes ſignificans res, & parte ex omni diuinitatis imaginem referens exorditur ab vno, & reuertitur ſemper ad vnum; qui animis purgandis accommodus

eius memoriam repræſentat, à quo omnium deducta eſt origo. Diuinum quoddam in ſe continent dena, ſi Dei lex decem exprimitur tabulis. Sanctificatur Domino, quod eſt decimum, & metiuntur decades vniuerſum. Certum eſt non appoſitè pſalli Deo, niſi in pſalterio decachordo. Qui decem menſium numero figuratus eſt homo, in numero decem Virginum regnum cœlorum agnoſcit.

De Altari. Cap. IX.

Altare, quod olim holocauſtis fumabat accenſis, modò precibus reſonat, & figuram oſtentat Crucis, in quâ Chriſtus pependit affixus. Cùm inſipienter, indignè accedit ad illud, qui cum Chriſto prius non configitur Cruci, qui priùs ſanguinis ſudore non madet, ſaltem perfundendus eſt lachrymis. Abſque animi cruciatu ad illud nō datur admiſſio. Gratum eſt Deo ſolùmmodò ſacrificium, vbi pœnitentia præcedit erroris. Currit, vt gygas ad amplexus gementium, qui laborauit in gemitu. Lætatur Eccleſia, cùm flagrat compunctionis vnguento, & inter calices paſſionis adoleſcit lex Euangelij. Prophanatum, corruptum eſt altare, quod mœroris eſt vacuum. Deliciari non decet ſub vmbra Crucis. Quis non dolebit, vbi Dei filius languet, eique natura parentat? Quis non gemet, vbi quietis oblita contremit tellus, & vndique Cœlum inuoluitur tenebris? Quis non plorabit, vbi Sol, & Luna perſonam induunt, & nocti concolor deficit dies? Doleamus, gemamus, ploremus; cū dolemus, in cuſtodiā tradi-

mur Angelorum: cùm gemimus, plenitudine gratiarum ad noſtros gemitus; cęleſtis Colũba reſpondet. Cùm ploramus, ad fluuialem impetum lachrymarum tota ciuitas Paradiſi exhilarata pateſcit.

De Calice. Cap. X.

CHriſti Domini noſtri ſepulcrum in calice veneramur. Spirat è ſepulcro mœſtitia, quę annos præponit ęternitatis, & immutabilem terrenorum excitat in mente contemptum. Manat è calice ebrietas, quę auget incrementum pietatis, & impetu delectatur amoris. Emicat è calice charitas, qua ſepulcri gloria effulget. Non poterat calicem non habere pręclarum, qui ſepulcrum ſortitus eſt glorioſum. Non audeat quiſquis attingere calicem, ſi Domini nomen non inuocauerit: nec ſepulcrum quiſpiam meditando præſumat inuiſere, ſi lachrymas non effuderit. Coronatus lachrymis calix veritatis ſapientiam elargitur; ſepulcrum precibus euolutum gratiarum ſuauitatem emittit. Neſcit vitijs ebrius Chriſti calice inebriari: nequit illecebris mundi ſepultus Chriſti tumulo ſepeliri. Altero roboramur, altero innouamur, vtroque gloriam adipiſcimur.

De Patena. Cap. XI.

LApidem ſepulcro Chriſti Domini ſuperimpoſitum Patena ſignificat, cuius memoria noſtrum cor lapideſcit, ſi ſolui in lachrymas párcit. Vtinam lapideſceret! quando ad Chriſti funus franguntur lapides; manu doloris cor lapideum vapularet, & manus nõ

per-

perderetur. Heù lapidibus durius noſtrũ cor eſt! Tantam profectò duritiem addicerem ferro, ſed ferrum molleſcit ad ignem, & in varias adhuc vertitur formas. Spiritus ſancti calorem cor noſtrum non percipit, & truculenter dureſcit, & obſtinat. Vidimus ſuper aquas natare ferrum, & è lapidibus perennes decurrere fontes; cor tamen noſtrum ſemper aret, & tendit ad imum. O plenam ærumnis durorum, & obſtinatorum conditionem! Illis, cùm nouiſſimus aderit dies, ſperare quietem non licet, & cùm reprobari contigerit, ad caput anguli aſciſci non datur.

De Sacerdote. Cap. XII.

SAcerdos, qui celebrat, Chriſti ducit figuram. Dedecet figurantem in omnibus nõ conuenire cum figurato. Si ſanctus eſt figuratus, à ſanctitate alienus non debet eſſe figurans. Qui viam non currit immaculatam, vota Domino non miniſtrat. Cui pars eſt cum populo, Dominus illi non eſt hæreditas. Illi exemplum docente Chriſto, trahenda eſt vita per pœnas, & baiulanda vndequaque ærũnis referta crux. Omnium ſordium inimicus, cùm loquetur, rutilabit, vt lux: cùm operabitur, nunquam deſinet eſſe Sal. Omni tempore candidus, oleum diffundet è capite, & manus apponet ad fortia. Indignum eſt, illum vitijs mancipari, animas qui ligandi, & ſoluendi ius habet. Cui data eſt in cœlo poteſtas, in mortis vmbra ſedere non licet. Qua ege, qua via Chr iſtum iuſtitiæ Solem induus Principi ſerui et tenebrarum? Non eſt o-

peræ

peræ pretium actiones admittere obſcuras, vbi profeſſio lucet igne Spiritus ſancti. Sacerdotis eſt terræ cupiditatibus exui, & cęli gaudijs inhiare perpetuis: auerti ſemper à malo, & Sanctorum inhærere veſtigijs: animi affectus humilitate compeſcere, & ab infeſta regnãdi cogitatione vacare. Sacerdos eſt Regẽ dignior, ſacerdotium eſt regno maius.

De libro Euangeliorum. Cap. XIII.

NE verba, quę protulit Chriſtus, è cruce, deliteant, Euangeliorum liber apponitur ad altare. Adiudicandus eſt morti, qui verborum illorum ſono non excitatur ad vitam. Ignita ſunt Chriſti eloquia. Ex abundantia charitatis, qua flagrans cor eius languet, os loquitur verba vitæ; & felle, & aceto, vel delibutum amareſcere neſciens, adhuc hoſtibus præparat cœlum. Primum charitatis occaſionem captat ad hoſtes, deinde diſcipulo matrem concredit, tertio loco ſpiritum ſuum commendat Patri. Charitas eſt fortis, vt mors, nec naturæ, nec legis ligamine nectitur, exequi duriora ſe iactat, & eò perduci contendit, quò lex, aut natura non audet. Sua cenſet, quę ſunt aliorum, alieni non appetens. Gaudet impetu, & flocci pendi nõ refugit: omnium dilectione flammeſcit, & tantummodò numinis trahitur voluptate. Ita charitas ordinatur, vbi de terra loquela non eſt, & è mundo non exigitur regnum.

De Pane. Cap. XIV.

SAnctiſſimum Chriſti corpus reuerenter adoramus in pane, è quo defluit ſalus, in

quo reſidet vita. Panis eſt Angelorum omni refertus delectamento, omni voluptatis perfectione locupletatus; cuius dulcedini cedūt mella de cœlo cadentia, cuius iucunditati aqua de petra fluens comparari nō poteſt. Simplex non eſt, ſed vnitus diuinitati, & diuinitatem communicat. Sub forma, quæ parua patefcit oculis, inuiſibilis virtutum occulitur amplitudo. In fortitudine cibi huius ambulatur ad montem Dei, ſiccum maris in medio habetur iter, & deſerta ferarum inhoſpita nō perterrent. Immortalitatis eſt cibus, quo totus terrarum orbis non habuit meliorem. Pacis abundantiam ſecum affere, & in animo plenitudinem excitat gratiarum. Ad tantum cibum inuitantur amici, filij vocantur adoptionis, & locus huic menſæ non datur nec Simoni, nec Iudæ.

De Vino. Cap. XV.

PRetioſiſſimus ſanguis, quo redemit nos Chriſtus, erubeſcit in vino, & enucleatum eſt nobis, cur dicebat ſe vitem, ſi vinum in eius ſanguinem tranſubſtantiari debuerat. Bibitum ad huiuſmodi vinum appellabat amicos, inebriatum ad huiuſmodi calices cōuocabat chariſſimos. Pocula, quæ ſitim extinguant dulciora mundus non habet. Hac potione ſpiritum prorogamus, laborum omniū obliuiſcimur, & corde iam dilatato viā currimus mandatorum. Ab his hauſtibus iteratis deuenit illa ebrietas, quæ virtutum eſt mater, deuotionis impetū gliſcit, rapinam charitatis animo machinatur, & regno cœlorum violē-

tiam

tiam infert. O ſi ſemper hac cæleſti vindemia madeſceret noſtra mens! nullis inimicorum ſubderemur inſidijs, obligaremur quotidie ſacrificijs laudum, & gloriæ nos triumphus maneret indubitatus.

De Aqua. Cap. XVI.

IN aqua memoriam Chriſti multiplici gutta ſanguinea ſudantis in horto repetimus. Laborabat in horto maledictionis primæuæ radices euulſurus ab horto. Semina ſpinarum, quæ ſparſerat vetus Adam, ſuſtinere reſpuit nouus. Vniuerſorum corruptionem calice intuebatur in vno. Omnium pondera peccatorum agnoſcebat in humeris ſuis, & quando creuerat vindemia iniquitatum, torcular calcabat ſolus. In hoc tribulationis puncto triſtis clamabat ad Patrem; & vndique ſanguinis ſudore perfuſus, incipiebat fontibus Saluatoris abluere terram, & de terra orationis clamore inimicos fugare ſerpentes. Proh quã duri crudeſcimus, ſi Chriſti ſudorem noſtris lachrymis non augemus, & cùm ipſe dolens exclamat, nos læti obmuteſcimus!

De Corporali. Cap. XVII.

AD notitiam Sindonis, qua Chriſti corpus inuolutum eſt, per corporale deferimur. Locum, qui natus vbi reclinet caput non habuit, in munda Sindone inuenit occiſus. Hic, factus pictor, atrati ſanguinis penicillo totam ſuæ paſſionis deſcripſit hiſtoriam. Virum in gemina pagina effinxit dolorum, cuius afflictionum colores ſunt verbera, & plagæ; cuius pœnarum confinia ſunt caput, &

pe-

pedes. Lineamenta flagrorũ per liuores produxit, & copiam gratiarum inter vmbras abſcondit. Docuit iterum lucere lucem in tenebris, quam non aſpiciunt, niſi filij lucis, & mutum expreſſit verbum, quo loquaces ſunt cœli. In hoc ſitu iacentem vitæ indicauit hęreditatem: in hac imagine mortis mortem diſtinxit victam: in hac obſcuritate debellatum aboleuit infernum. Diſpoſuit hic tantũmodo characteres amoris, opera pietatis impreſſa reliquit in cruce.

De Candelis. Cap. XVIII.

LVcem, ceram, & lichnum aduertimus in candelis. Diuinitati tribuitur lux, carnem Beatiſſimæ Virginis ſignificat cera, animam Chriſti meditamur in lichno. Niſi coniunctim credatur in carne Virginis cum anima Chriſti fulgere diuinitatem, nec inchoari, nec perfici ſacrificium Miſſæ conceſſum eſt. De Deo loqui dedecet abſque lumine, ſi ignem in Dei conſpectu ſemper ardere ſancitum eſt. Ignis color eſt lux. Vbi candor deficit lucis, nigreſcit, & nox eſt. Videmus in lumine lumen, & in ſplendoribus Sanctorum de virtute fit tranſitus in virtutem. Non candeſcit in tenebris veritas. Si gaudio lucis cor dilatatum non eſt, mandatorum non curritur via. Quibus ſanctitas diuerſatur in pectore, lucernæ ardentes non deſunt in manibus. Ambulant iuſti, dum lucem habent.

Introibo ad altare Dei. Cap. XIX.

LVcem habens introit ad altare, & florẽti reſtitutus ætati, commercium gloriatur

tur inire cum Deo. Non introit ad altare,qui cum animo foris eſt,et mundi pompas amplectitur. Semper eſt foris, qui Chriſti perſonâ exutus ſæculi vanitatibus inhiat. Ille foris à leone paueſcit occidi, & paterna benedictione priuatur. Ille non vocatus atrium Regis ingreſſus mortis pęnæ renunciatur obſtrictus, & iniqua gerens in terra ſanctorum non viſurus eſt gloriam Domini. Sanctum non ſanctificat canes,nec margaritę nutriunt porcos. Intramus altare magis interno, quàm homine externo. Qui foris eſt noſter homo, corrumpitur; qui tamen intus eſt, renouatur in dies. Iuueneſcimus Sacramentorum interna ſuauitate repleti, & ad iuſtificationes fit docilius noſtrum cor. Nunquam viximus, ſi in Chriſto non viximus: nunquam vidimus lucem, ſi iuſtitiæ Sole caruimus.

Iudica me Deus. Cap. XX.

SI iudicio non ſubdimur Dei, & noſtram Deo tantummodò diſcernendam non adducimus cauſam, ſtatim gentis non ſanctę deuincimur arbitrio, & hominum dolis confli ctamur iniquis. Iuſti nomen acquirit, qui prior accuſator eſt ſui. Nemo eſt, qui delicta confeſſus ſit ſua,quin actutum iuſtificatus euaſerit. Omnibus patet, mitius agi cum Deo, quàm cum homine.Quoties confeſſio lachrymarum ornatu non caret, Dei miſericordia præſto eſt. Miſericors, & miſerator eſt Deus. Nunquam hominum nos terrerent inſidię, ſi ſemper Dei iudicio ſiſteremur. In Dei iudicijs æquitas eſt, qua vitæ ſeruatur integritas, & ter-

& terræ deletùr iniquitas. Hominum ſimultatibus agitamur, cùm procul à iudicijs Dei iugum frangere nos delectat, & excluſi beatitudine, perditionis carpimus viam. Audite Mortales, benedici non vult, qui reſpuit iugum, & qui non amat iudicium, ſanari nequit. *Quia tu es Deus fortitudo mea.*

Cap. XXI.

IS, cui Deus eſt fortitudo, nec expulſus, nec triſtis incedit in mũdo; nullis torquetur incommodis, & inimicorum inſectatione non angitur. Agnoſcit se cinerem, & non ſuperbit: introrſum in corde credit habere regnum, & nihili facit, quod emicat foris. Quis neſcit ex conceptu inconſultæ fiduciæ proſilire calamitatem? Vana eſt obryzi fiducia, fallax eſt hominum amor. Confertur vmbrę terrena felicitas: æquiualet humo regalis poteſtas. Si dexter non adeſt Deus, abeſt omnis fortitudinis vis. Decidunt cogitationes è ſpe: conſilia fallit euentus: animi conatus hebeſcit. Inuenitur fortitudo duntaxat in Deo, cuius imperio ſeruiunt Angeli, obtemperant elementa. In cuius nomine ſancti, qui ſperãt, fortiſſima commorantur in turri, fortitudinẽ mutant, & pennas aſſumunt, vt Aquilæ. Fortes reſiſtunt in fide, & filij fortitudinis facti ęternum agunt ex inimicorum dolore triumphum.

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.

Cap. XXII.

ABerrat à veritate, qui viam lucis ignorat. Cognata veritati lux eſt. Cùm aufer-

fertur ab impijs lux, veſtigium veritatis non adeſt. Lux incorruptionis exemplar eſt,ſi veritas eſt initium ſanctitatis. Non admittimus lucem, cùm veritatem excludimus. Adimitur oculis lux, cum ignorantia veri cor decipit. Solem iuſtitiæ admiramur in luce, & verba vitæ æternæ in veritate nanciſcimur. Eueſtigiò ſedemus in cõcilio vanitatis, ſi ponimus lucernam ſub modio. Infirmatur veritas falſo,& apprehendunt tenebræ lucem. Adminiculo lucis, & veritatis tutum perficitur iter vitæ. Sed niſi Deus lucem emittat è cœlo, iacemus in tenebris;niſi Deus iuſtificationum veritatem oſtendat, in montibus ſanctis incaſſum inquirimus fundamenta, & æternæ quietis in cœlo non aſſequimur tabernacula. Transferimur in conſortium regni cæleſtis beneficio lucis, & veritatis.

Confitebor tibi in cithara. Cap. XXIII.

SI ex iugi confeſſione cõcipitur ſpes, quis negabit è ſpe, quæ non deficit, generari ſalutem? Spei bonæ proles eſt ſalus, quæ perficit animum in ſanctitate iuſtitiæ. Ex mandatorum exquiſita cuſtodia hauritur ſalutare præſagium! Placidi mores ſunt argumenta ſalutis. Nulla ſalutis ſpes viret, vbi tacita gratiarum actio in confeſſione non pullulat. Parit gratia gratiam, & ſpem ſolummodò delet beneficiorum obliuio. Aduerſum cuncta pericula amuletum eſt ſpes, quæ Deum benedicit in omnibus, & cogit, vt percrebeſcat ex omnibus ſalus.

Spera in Deo. Cap. XXIV.

EXpers triſtitiæ, & perturbationis fit animus, qui laudum confeſſione Deum appellat ad citharam. Excludit triſtitiam laus, perturbationem prohibet ſonus. Reſpondet concordiæ ſenſuum proportio numerorum, laus oris à gaudio cordis aliena non eſt. Prouenit è laude Dei ſecuritas laudatoris, qui excitatur ad regnum, & ad palmas accommodat animum. Canoras ad preces deſcendunt oracula Spiritus ſancti, quibus omnis tollitur labor, & beata ſuperadditur ſpes. Laudes ſimul cum ſono magnam inferunt cœlo vim, ita petitur, & accipitur. Quis cecinit gloriam Domini, & compos voti non extitit? Fortior eſt armatorum exercitu ſonus cũ laude. Virtutum munera captat ſacrificium laudis: aperit gratiarum fluenta benedictio facta cum ſono.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Cap. XXV.

CVm à tota Numinis Trinitate Chriſti poſcatur aduentus, æquum eſt, vt toti Numinis Trinitati in altaris introitu gloria tribuatur. Patri gloriam damus, à quo miſſus eſt Filius, mundi labentis reparaturus exitium. Filio, qui maieſtate depoſita ſerui formã accipiens genus humanum reſtituit libertati: Spiritui ſancto, cuius gratia redemptionis perfectũ eſt opus. Ingrati animi vitio turparemur, ſi beneficiorum immemores ingrederemur altare, & Patrem, qui nobiſcum pactus eſt pacem, laude non efferremus: Filium, qui in medio terrę ſalutem eſt operatus, gratantes non vocaremus ad preces, & Spiritum ſã-

ctum, qui nos omnia docuit, glorioſo non proſequeremur amore.

De duplici Introitu. Cap. XXVI

VOta Patrum, & vaticinia Prophetarum mortali Deum ſub carne expectantium, in duplici meditamur introitu. Tunc temporis inſonant auribus voces illæ, veni Domine, & noli tardare, veni Saluator orbem terrarum vindicaturus in libertatem; veni princeps pacis haſtas conflaturus in falces; veni iuſtitiæ Sol tenebris procul abactis radios effuſurus æternitatis; videmur rorantes videre cœlos, & pluere iuſtum; montes ſtillare dulcedinem, & mundi ſpectacula renouari: Lupos habitare cum agnis, & feras dediſcere feritatem. Felices, qui innocentiæ ſtolam induti, naſcenti in terris obuiam Deo lætanter eunt. Illos ſeruitutis vincula non conſtringẽt, belli ſtrepitus, armorumque pericula non terrebunt: errorum caligo non premet, & vmbra mortis non obruet. Illi meliores conſurgent ad annos, veſcentur dapibus Angelorũ, & videntes in ciuitate Domini, ſicut audierint, Deum aſpicient ſicuti eſt.

Confiteor. Cap. XXVII.

SAcerdos, & Clericus alternatim dicentes, Confiteor, exprimunt quicquid Chriſtus, & Ioannes exigunt in Iordane. Lucem à lucerna Sol poſtulat, præconia laudis verbum petit à voce, cupit à ſeruo Dominus baptizari. Vterque peccatorem ſe iactat, quando alter ipſa ſanctitas eſt, & alter natus eſt ſanctus: quando alter eſt ſpeculum ſine macula, & bo-

nitatis imago: alter ſordes non habet, & renunciatus eſt innocens. Erepturus fortaſſe mundum Chriſtus è tenebris, regeneratione̅ expoſcit ab aquis. Baptizatur tandem Chriſtus, & vetus Adam ſepelitur in aquis. Ex humilitate baptiſmi proſilit bonum gratiæ, quia Dominus factus obediens inobedientiæ vinculum ſoluit, mortificatur caro, & præualet lex: omnis impletur iuſtitia, & cœli cardines patefiunt.

Oſculum ad Altare. Cap. XXVIII.

ANtequam ſacrum Sacerdos incipiat, cùm oſculatur altare, Prophetarum oracula deſtitiſſe tunc docet, & deſponſatam Chriſto in æternum repręſentat Eccleſiam. Tunc Sanctuarij fores oſculo reſerantur, & ſuauiter vndique fragrant Sacramentorum odores. Spectaculum paſſionis, quod charitatem tantummodò redolet, aliter quàm oſculo inchoari non debet. Charitas Verbum deſcendere è cœlo coegit in terras, & humana delitere ſub carne: abdicare ſe maieſtate, & titulos induere ſeruitutis: currere pœnas per omnes, vt gygas, & curſum pœnarum abſoluere ad Crucem. O quæ viget in oſculo vis! Imprimit in animo pacem, ſi figit iucunditatem in labijs: diſtinguit fidei notas cum ſonitu, ſi ſpei munera coagmentat cum halitu: allicit ſenſus amore virtutum ad legem, ſi lumine gratiæ mentem attollit ad notitiam ſummi boni. *De Kyrie eleiſon.* Cap. XXIX.

GRęco ſermone excitatur Deus ad miſericordiam nouies, & Sanctiſſimæ Trinita-

nitatis vnaquæque perſona pulſatur voce miſericordiæ ter. Græcus ſermo, quo viguit ſapientia, indicat ſapienter miſericordiam implorari, & numerus nouenarius ex ternario ter ducto compoſitus, qui perfectionis odorē ſpirat, miſericordiam captari à perfectis oſtēdit. Miſericordias Domini in æternum non cantabit inſipiens, & in miſericordijs Domini non multum, aut nihil omninò gloriabitur impius. Non eſt miſericordiæ capax inſipiēs, ſi inſipientia eſt animi egeſtas. Impius frui miſericordiâ nequit, ſi impietas eſt mors animæ.

Inchoatur miſſa in parte dextera celebrantis. Cap. XXX.

IVdæos pars dextera celebrantis, gentes pars læua ſignificat. Sacrificium inchoatur in dextera, quia primùm à Patre ad Iudeos mittitur Chriſtus, & his primum filios Dei fieri, ſi crediderint eius nomini, datur poteſtas. Sed filij tenebrarum lucis radios non ferentes, Solem iuſtitiæ non admittunt, & ex patre diabolo nati, veritatis opera contumelijs inſectantes, gratiarum plenitudinem reſpuunt. Idcircò ad læuam Sacerdos ſe transfert, & hæreditas gloriæ traditur gentibus. Mali malè perduntur, & iniquis adimitur regnum. Vbi ſemel vitæ refutatur integritas, amplius dominandi libertas retineri non poteſt.

Gloria in excelſis. Cap. XXXI.

REſonat hymnus in gloria, quem nato in terris Deo plaudentes cecinerant Angeli. Aut ex adamante, aut ex ſaxo compoſitus eſt, qui Angelorum in gaudijs non

exultat, & ſuæ ſalutis primordia non agnoſcit. Ex elementis non conſtat, qui lætitia non geſtit, quando cuncta elementa lætantur. Facta eſt diuinitatis humanitas particeps, & primæuos oblita dolores inenarrabilem concipit ſpem. Habitat Verbum in nobis, & homines boni cordis appellantur ad pacem: nunciatur paſtoribus gaudium, & vndique ſpirat aura ſalutis. Noua pro Verbo tacente loquuntur ſidera, & felices enumerare annos incipit vniuerſus. Regna ſolum immaniter vlulant inferorum. Præſentiunt tenebrarum abyſſos euerti, diripi, deuaſtari, ſi tàm de repentè noctem cernunt dediſcere obſcuritatē, & inſolitis decoratam coruſcare ſplendoribus. *Dominus vobiſcum.* Cap. XXXII.

NIſi Dominus ſit vobiſcum, orare non licet. Præſentia Domini animum præparat ad orandum. Senſus non vagantur erroribus, vbi Domini lumen adeſt. In ſplendoribus ſanctorum cernitur qualis eſt mundus, & mundi pretioſiora vileſcunt. Qui amator eſt mundi, Domini amator eſſe non poteſt. Oratio donum eſt gratiæ, quę Domino iungit orantem, de virtute in virtutem promouet mentem, & innocentię cuſtos iuſtificationum paſcitur alimonijs. Non orat, qui à Domino longè cor habet, & vocem eius non audit: Qui vanitatis remigio graditur per inane terrarum, & aura dulci Spiritus ſancti non ducitur; qui cogitationes non allidit ad petram, & veſtigijs non inhæret iuſtitiæ. Qui orat, cum Domino loquitur, & nemo cũ alio loqui

loqui poteſt, ſi alius fuerit abſens. Dominus abeſt ab illo, cuius mores ſanctitate non fulgent, cuius voluntas non abhorret à vitijs. Non eſt participatio lucis ad tenebras. Æquitas cum iniquitate non congruit. Impiorum oratio incenſum non redolet, ſed fœtorem.

Orationes plerumque impares. Cap. XXXIII.

ORationes numero plerumque leguntur impares. Placet Diuinitati numerus impar, quia diuiſionis eſt incapax: non enim diſſenſionis eſt Deus, ſed pacis. Latet in diuiſione diſſenſio, & quicquid diuiditur, vnitatis, & charitatis virtute caret. Qui fecit vtraque vnum, argumentatus eſt è regno diuiſo ruinam. Antiquitus erat credentium cor vnum, atque anima vna. Vnum omnium rerũ fert ſecum principium, & cuncta feruntur ad vnum; vltra quod vnum nil eſt, & cuncta quę ſunt, appetunt illud vnum.

De manibus elatis, dum Sacerdos orat.
Cap. XXXIV.

ATtollit manus Sacerdos, dum orat. Inſtar Chriſti in cruce confixi precatur Patrẽ, & Moyſis pro populo dimicante victoriam depoſcentis ſimilitudinem accipit. Attollendę ſunt manus, cùm mens eleuatur. Dedecet mentem cœli myſterijs occupare, & manibus terrena pertractare negotia. Nulla paratur victoria, vbi conſilia non reſpondent operibus. Omnes vincuntur hoſtes, quando in iuſtificationibus immaculatum ſit cor, & fidei ſigno obſignata ſunt brachia: quando cum ſanctitate conueniunt mores, & habitus, nec di-

diſtat à ſemitis Domini nec voluntas, nec actio. *Epiſtola.* Cap. XXXV.

LEctio ſpiritualis doctrinæ eſt Epiſtola, quæ animum auertens à fabulis, timorē Domini, antiquorumque omnium ſapientiam docet. Vias indicat veritatis, enarrat beneficia gratiæ, & annos pollicetur æternos. Aduerſus peccata munimen eſt, quo pietas ſemper augetur,& legis præcepta laborem non afferunt. Delectatione non vacat, ſi lucis diuinæ ſemina ſpargi, & fugatis ignorantię tenebris Spiritus ſancti reuelat oracula. Vtilitatem vndique ſpirat,ſi coronam præparat vitæ, & fractis aduerſitatum obicibus, theſauros in cęlo accumulat immortales.Sed tantorum bonorum odorem non ſentit, qui Chriſti bonus odor non eſt. Non lętatur luce Solis, qui cœcus eſt; & caput incapax rationis rerum harmoniam contemnit. Non agnoſcūt margaritę candorem immundi ſues. Siquidē in animas impiorum, à quibus veritas abeſt, ſapientia non transfertur.

Graduale. Cap. XXXVI

APoſtolos gradientes poſt Chriſtum intuemur in Graduali. Reliquerunt omnia, & ſequuti ſunt Chriſtum. Chriſti ſequax non eſt, qui omnia non derelinquit, qui non denegat ſemetipſum, & induit Chriſtum, declinat à via Chriſti, & in tenebris ambulat. Non poteſt quis vitæ lumen habere, ſi iacet in vmbra mortis. Ambulat planè de nocte, qui cū Sole nō ambulat. Sol iuſtitiæ Chriſtus eſt, qui filios lucis, & non tenebrarum ſecum ad-

admittit. Filij tenebrarum, qui pacem habet cum mundo, terrena tantummodò quærunt, & gaudijs, quæ nec auris audiuit, nec oculus vidit, in cœlo non inhiant. Perpetuas ſibi parant in mundo delicias,& volubilem mundi figuram agnoſcere nolunt. Humanę peregrinationis immemores annos futuri ſæculi flocci pendunt. O cœcos mortales, quos à morte paciſci non pudet æternitatem, & ab inferno non dedecet vndecunque exoptare quietem. *Graduale, & Alleluia.*

Cap. XXXVII.

EX Graduali, & Alleluia actionis,& contemplationis deſumitur vita Hinc optima eligitur pars, ſi laudabiliter inde circa plurima affligitur mens. Hinc veſtigijs veritatis inſiſtitur, ſi petitur inde laborum perfectio. Hinc deteſtabile eſt malum, ſi tantum inde appetitus eſt boni. Hinc à Columbis remigium peroptatur alarum, vt velox amati Numinis efferatur in ſinum; ſi centum inde quæruntur manus, vt amicta varietate virtutum charitas fulgeat. Vtrinque in miniſterio flamma coruſcat ignis. Nihil eſt cœlo gratũ, quod ignem non ſapiat. Ignis, cuius lumine cœli monſtratur iter, pręcipitat moras, & ſurſum ſe fert: proprio gaudet actu pateſcere, & tenebrarum potentiæ ſubdi non patitur.

Tractus. Cap. XXXVIII.

IN memoriam reuocat Tractus triſtiſſimam noctem illam, qua Chriſtus per varia trahitur Tribunalia, cùm ferri ab vno tanta, iniuſtitia nequeat; qua calumnijs factus obnoxius

xius, mundum qui fecerat verbo, ſolū ſilentio ſe tuetur: Qua, quem Reges, & Paſtores laudarunt, & coluerunt in caulis, Iudices, & lictores illudunt, & plectunt in aulis. Lachrymas cohibere quis poteſt, cùm reminiſcitur Deum iudicio ſiſti, vbi cauſa damnationis nō eſt, & reſponſa ſunt crimina. Vbi innocentię candor ſanguinis eluuione turpatur, & abſolutus à culpa condemnatur ad pœnā. O quas illa ſuis iniquitates inuita nox vidit in tenebris! non ſunt cœlo tot ſidera, quot in Chriſtum illatę ſunt contumeliæ.

Munda cor meum. Cap. XXXIX.

AVt igne ſuſpiriorum, aut pluuia lachrymarum tergenda ſunt labia, quæ diuinū prolatura ſunt Euangelium. Sed labia terguntur incaſſum, vbi cor vitiorum eſt receptaculum. Compertum eſt, verba, quæ diſtinguuntur in labijs, concipi prius in corde. Ergo cor etiam purgandum eſt vitiis, vt in labijs effulgeat Euangelij veritas, quæ ſemper inimica malorum, nunquam conuenit cum flagitijs. Tunc ſpecioſi ſunt Euangelizantium pedes, in quorum veſtigijs immaculata candeſcit fides, & indubitata vireſcit ſpes. Tunc fragrat in Euangelizantium membris ſuauiſſimus odor Chriſti, quo morum coaleſcit integritas, & charitatis cumulatur incendium. Caueat Euangelij verbis ſermocinari peccator, in peccatorem inuehitur Deus, quare enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum.

Euangelium cùm inchoatur, fiunt tres cruces à celebrante, in fronte, in ore, & in pectore.

Cap. XL.

EVangelium neque legitur, neque auditur, quin legentis, & audientis frons, os, & pectus crucis ſigno ſignentur. Nullam in Chriſto collocat ſpem, quem pudet in fronte, in ore, & in pectore Chriſti Euangelium collocare. Vbi fides, è qua viuit iuſtus, in fronte non emicat, Chriſti cura non eſt. Vana ſperatur ſalus, vbi in ore non ſonat confeſſio. Nigreſcunt toto corpore tenebræ, vbi iuſtitiæ lumen non flammescit in pectore. Quando Euangelij libertas non floret in frõte, ſeruitus arguitur peccatorum. Quando veritatis facundia in ore non candicat, gratia confeſſionis non renidet in labijs. Quando amor recti radices non egit in pectore, fortitudo non viget in animo. Virtutum omnium fundamentum eſt fides: animi ingrati maculas pellit beneficiorum confeſſio: aperit iuſtitia vias æternitatis.

Euangelium. Cap. XLI.

SPeculum veritatis eſt Euangelium, in quo nulla virtutum cernitur ſpecies, niſi peccatorum deponatur caligo. Deformis apparet humilitas, & plebi duntaxat conueniens. Neglecta aſpicitur patientia, & generoſitati repugnans. Ignaua refertur manſuetudo, & nobilitati contraria. Infelix appellatur paupertas, & infamiæ proxima. Prohibent peccata ne ſplendor illuceſcat humilitatis, cuius proles ſemper eſt gloria: ne patientiæ admittatur

con-

conſilium, è quo completa prouenit repromiſſio: ne grata ſit manſuetudinis lenitas, qua terrarum aditur hæreditas: ne paupertatis agnoſcatur quies, qua cœli comparatur imperium. In hoc ſpeculo neque ſeductioni, neq: dolis, neque blanditijs locus datur. Talis quis reperitur, qualis quis eſt. Cœcus eſt, aut chriſtiani nominis indignus honore, qui ſalutaria ſpeculi huius conſilia, & monitus erubeſcit. Habet oculos, & non videt: laborat in ventum, & in tenebris comedit.

Credo. Cap. XLII.

IN perpetuas, quaſi ſtellæ, fulgent æternitates Apoſtoli, quia ad iuſtitiam totũ terrarum Orbem erudierunt. Ex eorum doctrina in Deum Patrem nos credimus, & Trinitatis agnoſcimus Sacramentum. Accipimus Ieſum Chriſtum Filium eius ex Virgine natum, vbi Spiritus generat, Virgo parturit, & quicquid geritur, eſt diuinum. Dolemus illum ſedente Pilato paſſum, crucifixum, ſepultum, quando nomen iudicis dolorem exaſperat, ignominia mortis magnitudinem explicat charitatis, & tumuli ſaxum cogitationes humanas allidit ad petram. Gaudemus deindè illum tertia die reſurrexiſſe, & non offendimur tormentorum, & mortis auditu, ſi reſurrectionis gloria tormentorum, & mortis aboletur iniuria. Illum etiam aſcendiſſe miramur ad cœlos: illuc effertur homo, vnde nunquam receſſit, vt Deus, & qui victus putatur in terris, mundo redempto triumphat in cœlo. Audimus tandem illum ſedere ad dex-

dexterām Patris, quando Pater in ſiniſtra nō ſedet. Loco non comprehenditur Deus, & nil ſiniſtrum admittit vnitas Deitatis. Venturum poſtremò iudicare viuos, & mortuos pro certo habemus. Stola ergo innocentiæ nos iudici præparemur induti. O quantum viuos, & mortuos tunc malè vixiſſe pigebit! Sentimus auram dulciſſimam Spiritus ſancti, ſine qua in Oceano vitæ huius anima rectè non nauigat. Sanctam veneramur Eccleſiam, quæ diuinitatis eſt conſors, cum qua qui non conuenit, ſalutis eſt expers. Diſcimus cunctis ſanctorum patere communionem. Communis eſt cunctis ſanctorum poſſeſſio. Nanciſcimur manifeſtam peccatorū accedente dolore remiſſionem: negat Deum, qui Dei miſericordias negat. Certa nobis eſt reſurrectio carnis, ſi occaſum, & ortum experimur in Sole. Fremet clangor vltimæ tubæ, & ſilentes hominum cineres excitabit è ſomno! Vitam denique expectamus æternam, deſtructis temporū vicibus ſuccedit æternitas. O nos felices, ſi nullo tēpore mutauerimus fidem à Deo! Taliter noſcere Deum, conſummata iuſtitia eſt, & taliter ſcire Dei iuſtitiam, & virtutem, radix immortalitatis eſt.

Offertorium. Cap. XLIII.

OFfertorio tempus illud aſcribitur, quo Chriſtus pro mundi ſalute peroptans occidi, decernebat effundere ſanguinem. Cupiebat ardenter oſculo tradi, vt vniuerſum appellaret ad oſcula. Quærebat funibus religari, vt hominum hæreret amplexibus. alijs

para-

parabat roſas, ipſe ſibi ſeruabat ſpinas. Erogabat in alios regnum, ſolummodò crucem pro ſe retinebat. Gratias diuidebat in ſingulos, ſpectare ignominias ad ſeipſum duntaxat aiebat: expleturus quæ cogitabat, currere viam poſcebat, vt gygas. Animum accommodabat ad calicem, & membra ſubdebat verberibus. Vehementi flagrabat cupiditate torcular calcare ſolus, vt pro alijs exprimeret vinum, ipſe tamen aceto frueretur, & felle. Mirum in modum optabat, vt in languoribus ſuis alij ſanarentur, ſed in eo non eſſet à planta pedis, vſque ad verticem ſanitas.

Suſcipe ſancte Pater. Cap. XLIV.

SAcerdos hæc verba dicens, Chriſtum in horto repræſentat orantem, ſuperno Patri ſeipſum pro culpis humani generis offerẽtem, quando omnia humani generis onera ſuo ſubijt dorſo, & cæpit pauere, & mæſtus eſſe. Quando ſarcinam non aſpernatus ſanguineo totus ſudauit humore, & obrepens ex omni membro viſus eſt præſtitiſſe dolori vectigal. Cogitet igitur quiſquis an animi puritate, qua decet, hæc verba concipiat, qua cordis contritione de ſuis, & aliorum criminibus loquatur cum Deo: quid agat, quo fungatur officio. Si timore non expalleſcat, à temeritate non abeſt. Si non ſudet, & non ſoluatur in lachrymas, impietate laborat. Nulla eſt religio, vbi timor non eſt. Vitæ deſideratur integritas, vbi contritio mari non comparatur.

Deus, qui humanæ ſubſtantiæ. Cap. XLV.

Ar-

ARgumentum diuinitatis eſt vinum, humani generis aqua: iſta benedictionis eſt inops, illud plenitudine gratiarum abundat. Gignitur illud è vite, quę Chriſtus eſt: iſta dependet à terra, quæ ſpinas, & tribulos didicit maledicta producere. Dedecet hanc maledictionis reatu deuinctam ſplendoribus commiſceri ſanctorum, & benedicitur. Tollitur quælibet naturæ corrupta deformitas, benedictionis auxilio. O quanta benedictionis eſt vis! Introducit fœcunditatem, & ſterilitatem expellit. Amaritudinem mutat in ſuauitatis odorem, & tenebras conuertit in lucem. *Silentium Sacerdotis.* Cap XLVI.

QVicquid iniquitatis in Chriſtum moliti ſunt impij, detegitur hoc ſilentio; voces, quæ tantam exprimant feritatem, facundia non habet. Iuſtum pati nequit, & infremit turba reorum: indignatur, infrendet, falſis criminibus inſimulat innocentiam. Qui verò videt in abſcondito Deus, abſconditur, & quæ fulget vbique diuinitas, latet. Diſcipuli pauent, & de Verbo verbum palam non fit. Cernitur Verbum nunc obſignatum ſilentio, quando poſtremùm, cùm exaltatum fuerit, redemptionis occaſione pateſcet, & ad ſeipſum tracturum eſt omnia.

Offerimus tibi Domine calicem. Cap. XLVII.

OFferimus omnes Domino Dominicæ calicem paſſionis, vt etiam omnes noſtrarum calicem paſſionum Domino diſcamus offerre. Anguſtiarum bibere calicem vitæ neceſſitas eſt, ſed ad calicem anguſtiarum Domi-

minum appellare, munimen ſalutis eſt. Illicò paſſionum præclarus fit calix, animumque dulcedine inebriat, cùm oblatus eſt Domino. Vbi præſens eſt Dominus, ſalutaris anguſtiarum efficitur calix. Eueſtigiò triſtitia commutatur in gaudium, & cithara iam in luctū conuerſa lætiſſima reſonat voluptate: ablegātur carnis illecebræ, & conſortes diuinitatis efficimur, cùm vinum compunctionis è calice paſſionis haurimus, & cor humilitate contritum Domino conſecramus. Simul ac dolorum vnguentis abſtergimur, ſuauitate gratiæ rapimur, floribus innocentiæ coronamur, & à Domino vocamur ad oſcula.

In ſpiritu humilitatis. Cap. XLVIII.

INter ſacrificia charitatis ardore nequimus rapi, niſi duę præſertim virtutes vehementer in nobis excellant, humilitas, & contritio. Humilitas, cuius odor eſt bonitas, cuius effectus eſt ſalus, familiaris eſt Deo, cognata beatitudini. Contritio, quæ languet amore iuſtitiæ, & iuſtificationem lachrymis nutrit, ſemper abhorret à maculis, & gratiarum prę-ſtolatur augmentum. Iſtis duabus alis altiſſima cęli faſtigia ſcandimus, & ineffabili numinis gloriamur intuitu. Placemus Deo, ſi de nobis ipſis ſentimus humiliter, affectuumq; cuſtodimus in animo diſciplinam: ſi fluuios aquarum ex oculis deducendo, miſericordiā appellamus ad gemitus, & vitiorum cateruā foras expellimus. Non inuenit ſiderum conditorem curioſa ſuperbia. Aberrat à foribus Paradiſi pertinax arrogantia. Aſcendit ad Do-

Dominum deprecatio noſtra, cùm iuxta eloquium Domini nobis eſt intellectus,& meditatio noſtra legem Domini tantummodò ſonat. *Veni ſanctificator*. Cap. XLIX.

AD omne ſacrificium diuino nomini pręparatū ſanctificator inuocandus eſt Deus. Nulla ſanctitas reperitur in operibus hominum, ſi hominum vniuerſæ iuſtitiæ, quaſi pannus ſunt menſtruatæ. Cruce duntaxat,qua redemptum eſt genus humanum è ſeruitute peccati,hominū quilibet actus inuocato Deo fit purior. O quàm libenter ſuas laudes participat Deus cum cruce! Gratias ſine cruce Deus non elargitur. Fons gratiarum crux eſt, quapropter regni cæleſtis renunciatur indignus quicunque crucem non baiulat. Alia iutis, niſi crux, in itinere mundi fidelis cynoſura non eſt. Non curritur via, quæ ducit ad Paradiſum, ſi crux viam non monſtrat. Omnis virtus floreſcit in cruce: flores honoris,& honeſtatis caneſcunt in cruce.

Lauabo inter innocentes. Cap. L.

NVlla poteſt audiri vox laudis, neque mira enarrare diuinitatis fas eſt, quando manus inquinatæ ſunt vitijs, & altare non circundatur innocentia. Ex operibus manuū dignoſcitur animi qualitas. Reſpondent animo manus. Si ſpecioſa ſunt manuum opera, ſpecioſus eſt animus: ſi turpia, turpis: Diluto animo, dilutis manibus induenda eſt Chriſti perſona, & cœli recludenda ſunt atria. Inſpiciuntur ſacrificantium manus, & animus. Decet ſacrificantes incorruptam fouere legem in

animo, & ardenter geſtare lucernas in manibus. Sacrificijs impiorum Deus optimus maximus irritatur ad iram. O quot maieſtatis impios ſcrutatores vidimus oppreſſos à gloria! felicem illum, cuius dilectio eſt ſanctuarij decor, cuius ſtudium eſt nitidè Templi mœnia venerari. Non timebit corrumpi cum impijs, ſicariorum non obruetur incommodis. Iniquitates contemnet, & munera. Morum integritate miſericordiam conſequetur, & conſcius recti aſſiduis Deum laudibus cumulabit.

Extremitates digitorum abluuntur. Cap. LI.

VT ſciatur culpas in operatione tàm ſancta non ſolum graues, ſed etiam leues eſſe vitandas, digitorum extremitates ablutione purgantur. Manna illud Prophetis abſconditum, in hac menſa guſtatur. Fons ille ſalutis tandiù deſideratus à iuſtis, hic ſenſus inebriat gratia. Huc non accedat, qui viciato ſtomacho fluctuat, qui defæcato non candicat animo. Deifica profeſſio cum illicita actione non conuenit. Longè differt à tenebris lux. Diuinitatis conſors eſſe non poteſt, qui contumeliæ particeps eſt. Qui volutatur in cœno, margaritas non appetit. Roga, qui ſacrũ facis, vt ſemper ab iniquitate laueris, & candore contendas cum niue. Valet plurimi candor, & ſummam vim habet ad gloriam.

Suſcipe ſancta Trinitas. Cap. LII.

OPus, quod Sanctiſſima abſoluerat Trias, Sanctiſſimę Triadi ſuſcipiendum offertur. Patri in terras filium miſiſſe tribuitur: Filio

lio carnem induto mundum proprio ſanguine aſcribitur comparaſſe: Spiritui ſancto, cuius calore rerum vniuerſitas flagrat, vtraque vnũ feciſſe refertur. Dulciſſima humano generi ſunt nomina Triadis. Patrem veneratur in intellectu, Filium in memoria, Spiritum ſanctum in voluntate. Debet Patri, ſi diuinitatis efficitur particeps: Filio, ſi pane veſcitur Angelorum: Spiritui ſancto, ſi de tenebris regeneratur ad lucem. Quicquid fulget in hominibus boni, ſanctiſſimæ aſciſcitur Triadi: apprehenditur fides à Patre, ſpes à Filio, charitas à Spiritu ſancto.

Orate fratres. Cap. LIII.

NVnc noſtris non ſolum, ſed etiam aliorum orationibus indigemus. Quę Chriſtus argumenta doloris proſpexit in horto, referimus: vigilandum, orandum eſt. Fragrat amariſſimus calicis odor, qui, ſalutem ad humani generis vulnera perlaturus, pertranſire non poteſt. Sudor ſanguinis fumat decurrentis in terram, è quo lætiſſimum aduerſus mortem auſpicamur triumphum. Pendet ab illo timore Domini ſpes extrema ſeruorum: à patre in vinculis conſtituto libertas conijcitur filiorum. Viri ſanguinum fremunt in innocẽtem, & toti mundo præparatur è forti dulcedo. In meditatione tantarum amaritudinum nulli noſtrum ſit dictum à Domino, non potuiſti vna hora vigilare mecum? O quæ vigilantibus corona promittitur! O quæ manet orantes humiliter gloria! Vigilia, quę cibus eſt animæ, æternitatis amica eſt, ſapientię co-

mes. Oratio, cuius finis eſt gratia, auget iuſtitiam, & penetrat nubes; eſt conciliatrix affectuum, ſuadela miſericordiæ, incola Paradiſi.

Secretæ. Cap. LIV.

ORationes ſecretæ referunt Chriſtum tempore paſſionis orantem. Orabat Patrem, vt de ſuis tortoribus pœnã lueret nullus; vt omnes accuſatores abſoluerẽtur à culpa; vt nulli, neque iudicum, neque teſtium pro tanto ſcelere mulcta damnationis irrogaretur. Æſtuabat charitatis ardore, & totum ſuo ſanguine mundum non redemiſſe putabat, ſi quis perderetur ſui ſanguinis reus. Roſas excerpebat è ſpinis, faſces triumphi nanciſcebatur in flagris, ſolium maieſtatis meditabatur in cruce. Secum certè commentabatur ex ſuis languoribus vniuerſæ naturæ parari ſalutem, ex ſuo funere communem humanę reipublicæ progigni vitam.

Præfatio. Per omnia ſæcula. Cap. LV.

QVandiù componat æternitas ſæcula, vobiſcum mortales, ſit Dominus. Illecebras mundi reſpuite, & ſurſum attollite corda. Cœli nunc recludenda ſunt atria, & quæ latent intrinſecus meliora, pateſcent. Deſcẽdet è cœlo Chriſtus. Induite Chriſtum, ſi ſub ſpecie panis Chriſtũ cupitis intueri. Ex quinque fontibus Saluatoris nullo pacto bibetis ſalutem, ſi veterem non exueritis hominem. Mores ablegate ſuperbos: incipit ab humilitate beatitudo. Sordes remouete libidinum: innocentiam ſequitur gratia. Diſcitur à fuga mortalium conuerſatio cum cælitibus. Vani-

tatum cõtemptus detegit veritatis aſpectum. Fruſtra ſe iactat in bonis habere Dominum, qui terrenis implicatus eſt curis: nequit dicere, Dominus pars hæreditatis meæ, qui ſtultè, inconſultè omnia expectat à mundo.

Gratias agamus. Cap. LVI.

Digniùs, & iuſtius operari in hoc mundo non poſſumus, quàm Deo ſemper agere gratias. Bonorum noſtrorum non indiget Deus, & à nobis duntaxat gratiarum actiones expoſcit, dum voluntate potius, quàm holocauſtis delectari videtur. Quoties gratias deſiſtimus agere, confeſtim beneficiorum appellamur immemores. Cùm vocem vbique non excitamus ad laudem, ingrati animi macula deturpamur. Æquitatem ſonat vox laudis: affert ſalutem confeſſio gratiarum. Semper, & vbique benedicendus eſt Deus: laudare Deum matutina nos docent aſtra: Deo gratias exhibere ſecum inuicem colligata nos admonent elementa. Beneficiorum munera cumulantur in nobis, vbi gratiæ gratiarum cõfeſſionibus perſoluuntur. Certũ eſt nos plus mereri fauoris, cùm collati nõ obliuiſcimur.

Sanctus, ſanctus, ſanctus. Cap. LVII.

Spectat ſolummodò ad Angelicas mentes vocibus exultationis, & laudis celebrare potentias Domini. Intuentur ineffabilem numinis gloriam duntaxat Angelicæ mentes. Neſcit laudes enumerare diuinas humana mortalitas. Nequit maieſtatem, qua totus plenus eſt orbis, contemplari mortalis caducitas. Siuè columbæ petamus alas, ſiuè gygã-

tis feramur greſſu, ſemper corruptione grauati radimus terram. Igne ergo Spiritus ſancti induenda nobis eſt incorruptio, ſi diuinas ire velimus per laudes, & ſupplici confeſſione dicentes, Sanctus, ſanctus, ſanctus cõuenire cum Angelis. Si Paracleti amoris flamma non vrimur, Christo non occurremus canentes, benedictus qui venit in nomine Domini. Chriſtum Ieſum aduocare quis valet, niſi Spiritus ſanctus linguæ concedat vſum?

Te igitur. Cap. LVIII.

INcipit Canon, qui regulam ſonat, littera T, quæ crucis imaginem gerit. Dari regula nequit in terris, cuius initium non ſit crux. Signum ſalutis eſt crux, quæ iter indicat ſalutare, ſine qua ſalus in mundo ſperatur incaſſum, præter quam alia fidelibus cynoſura nõ fulget. Quicquid virtutis denegat mundus, inuenitur in cruce. Morum diſciplina, quæ malitiæ flammis aruerat, reuireſcit ſub vmbra crucis. O qui flores honoris, & honeſtatis decerpuntur è cruce! glorioſos bonorum laborum fructus parturit crux. Errant, qui roſis tempora coronati inquirunt per prata delicias: in abyſſi tenebras cadent, & Chriſti gloriam non videbunt. Solium ſibi Chriſtus effinxit in cruce, & diſcipulos poſt ſe non admittit, niſi baiulauerint crucem.

Oſculum ad Altare. Cap. LIX.

OSculum ad altare memoriam renouat oſculi, quo captus eſt Ieſus. Fortaſſe ſponſus ſanguinum oſculo tradi debuerat: aut in diuinum amorem ſine armorũ amoris abu-

ſu

ſu irruere non licuerat: aut ex horto ſpinarũ flos campi, niſi oſculi blandimento decerpi non poterat. Nunquam alias viſum erat ſub oſculis latitaſſe venenum. Aggreſſura diuinitaté oſculo perſonata comparuit mors. Quis antea nouit, è ſignis pacis proſilijſſe mortis experimentum? Recordamur duntaxat Ioab, qui pari oſculorum proditione interfecit Amaſam. O animi ingrati vitium maximum! Inſpirauerat Deus in hominem ſpiraculum vitæ: inſpirat in Deum homo ſpiraculũ mortis. *Hæc dona † hæc munera, hæc † ſancta ſacrificia.* Cap. LX.

TRibus crucibus dona benedicuntur oblata, & clementiſſimus Pater ſupplici corde rogatur, vt pace, vnitate, & incremento dignetur vniuerſam regere Eccleſiam, cui fides, ſpes, & charitas nunquam deſint, & tẽpus illud non redeat amplius, quo Ieſus præda factus eſt impiorum, & diſcipuli perterriti metu fugerunt omnes. Timebant omnes, & à Sole iuſtitiæ procul errantes, ambulabant in tenebris. Percuſſo paſtore ouium euanuit diſciplina. Veritate in vinculis conſtituta inſurrexere mendacia. O quali trepidabant elementa timore! Adeſt confeſtim omnium rerum confuſio, vbi virtutum deperditur dignitas. *Memento.* Cap. LXI.

MEminimus in memento Chriſtum ærumnas tranſiſſe per omnes, vt è pœnis eximeret homines. Humilem induiſſe habitum ſerui, vt genus humanum vindicaret in libertatem: inter iniurias, inter verbera,

tanquam agnum obmutuiſſe, vt ſuo ſanguine aduerſum humanitatem chirographum decreti deleret: frontem ſuppoſuiſſe coronæ dolorum, vt cuicunque mortalium coronam gloriæ largiretur: accepiſſe in ſceptrum arundinem, vt non leuia maieſtatis inſignia fidelibus præpararet hominibus: iniquas iudicum ſubijſſe ſententias, vt omni terrarum populo conferret ſalutem: in gemitu ſuo laboraſſe, columnæ alligatum, vt lapſum erigeret mundum: ipſum calcaſſe ſolum amaritudinum torcular, vt ad ſuorum vulnerum latices inuitaret amicos: felle, & aceto potatum eſſe, vt ſitiẽtes expleret fontibus Saluatoris: à terra exaltatum fuiſſe in crucem, vt ad ſeipſum traheret omnia. Horum deinde confiſi meritis tormentorum diuinam clementiam ad noſtras preces accommodare cogamus aures, ne quando ſit irrita noſtra ſpes, & iudicio ſuccumbamus extremo.

Communicantes. Cap. LXII.

TAntorum dolorum communicata eſt cura cum multis. Experta eſt Mater, ſenſerunt Apoſtoli, percepere diſcipuli tantę ſeueritatis aculeos. Inter tot pęnas ingemuit multitudo virorum, plorauit pars magna mulierum, ſpectaculis tot acerbis obſcuratum eſt cælum, tremuit terra, infremuit vnda maris, ſciſſę ſunt petræ. Plurimi doluerunt, ſed tuo dolori, Sanctiſſima Genitrix, dolor non eſt inuentus æqualis: tuam ipſius animam doloris gladius pertranſiuit. Filio, dolorum Regi appellato, adiuncta eſt parens regina calami-

mitatum. Vidiſti florem tuum decidere in ſpinas, & ne fortaſſis areſceret, innumeris illum lachrymis irrigabas. Nacta es Solem tuum, quo radiabas amicta, tenebris obſitum vndequaque, & gemitibus, vt opinari fas eſt, è cœlo ſuppetias allaturos vocabas Angelos pacis. O dolor, ô pietas! Seueriter cruciabaris intacta, & plagas inuulnerata grauiter fouebas immenſas.

Hanc igitur oblationem. &c. Ecce homo. Cap. LXIII.

MOlleſcat modò hic gelidum pectus, cuius adhuc viſcera lapideſcunt. Redimitus corona ſpinarum, arundinem geſtans in ſceptrum, ſanguine purpuratus, vinculis vinctus, totus vulnere læſus oſtenditur populo ſalutis donator, in ſplendoribus natus, ſpecioſus præ filijs hominum Chriſtus. Spectaculum hoc pietatis etiam lachrymas expoſcit à ſaxis. Caret heù luce, qui lucis eſt fons: ſanitatis eſt inops, qui ſanitatis eſt author. Obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus. Quò gratia labiorum euanuit, quorum verbo firmati ſunt cœli? Quò lumen abijt oculorum, è quibus ſidera didicere ſplendores? quò ceſſit frontis maieſtas, ad cuius aſpectum cardines contremunt inferorum? Quò deſijt rubor genarum, quo facies terræ renouata refulſit? Conticet inſtar agni, qui præparatur ad victimam. Mirabilis taciturnitas, mirabilis victima. Libertas mundi gignetur è victima: pluuiam linguarum parturiet taciturnitas.

Quam

Quam oblationem. Cap. LXIIII.

MEditamur in oblatione hac panis, & vini Chriſtum cruci confixum. Quicunque cum Chriſto figitur cruci, benedictionis eſt particeps, cœlo aſcribitur ciuis, ratam concipit ſpem, rationabili ſpiritu ductus efficitur filius Dei, & omni culpa remota fit in omnibus acceptabilis. Odit lucem, qui crucē odit. Regna noctis debellata non extitiſſent, ſi crucis vexillum non coruſcaſſet in terris. Arbor vitæ crux eſt, è qua confuſionis tenebræ non erumpunt, ſed radij veritatis; è qua mortis poma non decidunt, ſed ſalutis. Fallimur, & innumeris implicamur erroribus, ſi aliter, quàm in cruce in valle hac lachrymarum quæremus quietem. Sol iuſtitiæ in mundo, niſi in cruce, vbi caput ſuum reclinaret, non habuit. Delicias ſuas continet crux, quæ inter ignominias exhibet gloriam, ſecuritatem è periculis defert.

Qui pridie. Cap. LXV

AD ſe tracturus omnia elatus è terra, de ligno vitæ edere docet omnes. Vitæ luce non fruitur, qui fructu ligni non paſcitur. Conuiuium, quod in horto ſemel inſtituit, vſque ad conſummationē ſęculi, virtute verborum, quę charitatis ſunt argumenta, permanere decreuit admirandum in ligno. Inuiſibilis latet in carne Deus, & celatur in pane viſibilis homo. Exhibitione ſui omnium ſibi pollicitus eſt rapinam; qui prius in vnguentorum odorem illexerat multos, ad eſcā corporis ſui nunc rapit omnes. In hac eſca,

quæ

quæ iuſtitiam, pacem, & gaudium in Spiritu Sancto ſapit, eſt regnum Dei. Meliorem non nouit natura cibum, cuius ſaturitas excitat appetitum; quo ſtatim oculi illuminantur, animus induit fortitudinem, Déique ſuauitas vndequáque guſtatur.

Simili modo. Cap. LXVI.

SImili modo ne potus in compunctionis menſa deficiat, pretioſiſſimum ſanguinem ſuum cunctis propinat in calice, & admonet gratiarum actione pręmiſſa calicem paſſionis aſſumi. Adornant dignitatem, & amplitudinẽ paſſionis inſignia. In tormentis, in cruciatibus non modica delitet gloria. Aditum ad triumphos patefacit magnitudo laborum, & laborantibus tantum repoſita eſt corona iuſtitiæ. Noui, & veteris teſtamenti iura comprehenduntur in calice, è quo manat redemptio, è quo defluit gratia. Quis audebit ſedem pręſumere in cœlo, ſi varia per diſcrimina mundi calicem Chriſti non biberit? Nulli confertur hæreditas Patris, qui Patris veſtigia ſequi neglexit ingratus. Malè diſſentit palmes à vite. Semper ergo, & omni tempore Domino gratias agat, & vocatum ſe credat ad proſpera, qui vocibus ærumnarum ad paſſionis calicem inuitatur. Ad menſam compunctionis ſolummodò conuocantur amici, & calice ſanguinis Chriſti inebriantur chariſſimi.

Hæc quotieſcumque feceritis. Cap. LXVII.

IN hac actione ſtat mundi ſalus. Maxima eſt gratia facti. Decet memoriam hominũ crucifigi cum Chriſto, & aliidi hominum cogita-

gitationes ad petram. Eſte procul nunc ſæculi vanitates. Vbi profuſus eſt ſanguis, fas eſt, vt lachrymæ non deficiant. Vbi natura omnis Crucifixo parentat acerbitate doloris, mare contritionis eſt excitandum. Dediſcunt ſaxa duritiem, & franguntur. Ablegant Sol, & Luna ſplendores, & nigreſcunt. Triplici metallo cor cingitur, cui nō fluit ex oculis lachrymarum vbertas; cui vultus obnubilo non expalleſcit aſpectu. Poſcit ſpectaculum paſſionis ſuſpiria, gemitus, lachrymas, vlulatus.

Vnde & memores. Cap. LXVIII.

SPectaculum præbetur hic Matris ſummo Patri pro mundi redemptione filium Deum offerentis in hoſtiam, & à Deo filio hominem accipientis in filium Doloris confoditur gladio, & ſuam ipſius animam prodigit, dummodò mundi ſpes non intereat. Gaudet laqueis calamitatum obſtringi, dummodò genus humanum ex culparum vinculis eximatur. Quem è terris rapturum crediderat omnia, medium aſpicit inter latrones, ſiderum moliri rapinas, inferorum euerſionem parare. Aſpicit felle, & aceto potatum, qui verba fuderat charitatis, & vitę, nil concipere amari, & ſuos excuſare tortores. O quàm grauiter mater torquetur in filio! Non parcet amaritudini, quæ nunquam pepercit amori. Nunc ancillam ſe noſcit, ſi filio, quem ſub forma ſerui genuerat in ſtabulo, priuatur in cruce, cùm Rex Iudæorum inſcribitur.

Panem † ſanctum vitæ æternæ, & calicem † ſalutis perpetuæ. Cap. LXIX.

Hoc

HOc pane ſancto, qui vitam largitur æternam, & hoc calice ſalutari, quo totus charitate inceditur mundus, completæ ſunt victimę, abſoluta ſunt holocauſta. Quicquid antiquitus ferrũ præmonſtrarat,& ignis, in frumento patefactum eſt mox, & in vino. Nota fulgent oracula Spiritus ſancti. Mirante natura, numine miſerante,timentibus Dominum expectata conceditur eſca, & calix propinatur præclarus inebrians. Hic eſt panis ille de cœlo præſtitus, qui nunquam deficiet, & ſuauitatem continet omnem. Hic eſt calix ille diuina imbutus iucunditate, qui mœrores excludit, & memoriam abolet egeſtatis. Hoc cibo,hoc poculo ſeruata eſt humana reſpublica; huius cibi, huius poculi beneficio ereptum eſt morti mortale genus.

Supra quæ propitio, Cap. LXX.

LAborantem in Cruce Deum agnoſcunt Angeli pacis, & flent amarè. O quàm dittant à cantu,quem cecinerant in præſepio! Natum, quem collaudauerant inter paleas, morientem cõmiſerantur flebiliter inter ſpinas. Aſpiciunt attonita mente paſtorum applauſus, & gaudia commutari in populorum execrationes, & contumelias: regum dona, & theſauros conuerti in vepres, & clauos. In vultu, à quo Sol, & Luna ſplendere diſcunt, nullã inueniunt maieſtatem. E membris, vnde fluebat ſalus,& permanabat ad omnes, hauriunt argumenta dolorum. O quali luctu tota mœret aula cæleſtis! quæ fuit antea mœroris expers, ineffabili obſtricta mœrore paueſcit.

Sup-

Supplices te rogamus. Cap. LXXI.

INterea Angelos cœli flere, elementa mũdi nutare, indutum humana carne Deum pati, deſcendens ad inferos Fama non tacet. Illicò contremiſcunt Erebi regna, & durioribus timent ſeruari pœnis. Tremunt dæmonum atræ phalanges, vlulant anguineis crinibus dilaniatæ ſorores. Reſpirant duntaxat animæ Patrum in mortis vmbra ſedentium, & beatam expectant ſpem. Poſt tot labores, poſt tot tormenta pręparant triumphanti pręconia laudum, pręſentiunt hoſtium vincula conteri, receptacula tenebrarum euerti, lachrymarum amandari memoriam. Prȩnoſcunt compleri cœlum colonia captiuorum, explicari libertatis inſignia, nundinas inſtitui gratiarũ.

Memento etiam Domine. Cap. LXXII.

DAtur cuique, & vbique veniam impetrandi facultas. Sufficit confiteri peccata dolenter, & indulgentia præſto eſt. Peccatorum confeſſio eſt principium miſericordiæ præoccupans pœnam. E' confeſſione quid defluat gratiæ, teſtantur verba latronis adhuc pendentis in cruce. Reſerat confeſſio cœlum, quod clauſerat culpa. Vim patitur Deus, vbi voces reſonant pœnitentiæ. Stolam primam, & annulum pacis filio pęnitenti Pater negare non poteſt. Quis vnquam ſe vertat ad Solẽ iuſtitiæ, & radijs vitæ non reuertatur imbutus? Dicta ſunt Chriſti, omnis, qui coram hominibus confeſſus me fuerit, confitebor, & ego eum corã Patre meo, qui eſt in cœlis.

Nobis quoque peccatoribus. Cap. LXXIII.

Quic-

QVicquid ſanctitatis, vitæ, & benedictionis præſtatur nobis, Chriſto Domino referamus acceptum. Poſtquam tectum eſt carne Verbum, nouos induit caro mores: ſæculi vanitates perſpexit animus, & vitiorum deſpexit illecebras. Virtutum enituit dignitas, & præmiorum non defuit ſpes. Æternitatis compertum eſt iter, & facta eſt beatitudinis capax humanitas. Manifeſtata eſt benedictio in medio terræ, & dulcedo manauit à montibus. Voces euanuere maledictionum, & Domini timor benedictionis exprimens paradiſum, operatus eſt ſalutem, & gloriam.

Per quem omnia, &c Cap. LXXIV.

PErpendiſſe Chriſtum tribus horis in cruce tres cruces oſtendunt, quando per ipſum conſummata eſt mundi redemptio, cum ipſo præſtita eſt numinis ſatisfactio, & in ipſo abſorta eſt mors in victoria. Quando per ipſum humano generi præparatum eſt regnũ, cum ipſo promulgata eſt æternitas vitæ, & in ipſo ſpes vnica extremi triũphi repoſita eſt. Vtinam nos harum trium horarum virtute, per ipſum mundi reſpuamus illecebras, cum ipſo crucis onere gloriemur, & in ipſo theſaurum inueniamus abſconditum. Per ipſum exoluamur à tenebris, cum ipso adoptemur in filios lucis, & in ipſo fruamur hæreditate cœlorum.

Eleuatio calicis vna cum hoſtia. Cap. LXXV.

PArua eleuatio calicis vna cum hoſtia in prolatione verborum, omnis honor, & gloria; Chriſtum indicat expiraſſe. Illo actu, quo

quo cœli obſtupeſcunt, & radiorum lumine exuitur Sol; quo tota contremit tellus, & lapides emolleſcunt; quo de tumulis mortuorũ corpora ſurgunt, & rerum vniuerſitas luget. Nos tamen metu non quatimur, & vanitatibus inhiamus: obliuiſcimur debiti, & non deuincimur amaritudine: gemitibus parcimus, & lachrymis non obruimur. O nos cœcos, & ſemper ingratos! Beneficia poſtulamus, & beneficiorum authorem nihili facimus: poſcimus ad menſam aſcribi, & in die neceſſitatis non permanemus: libertatis titulos vſurpamus, & , quo ſumus redempti, ſanguinem nõ agnoſcimus. Fruſtra hæredes inſiſtimus appellari, ſi mortem teſtatoris non proſequimur luctu. *Per omnia ſæcula ſæculorum. &c.*

Cap. LXXVI.

QVandiù perpetuo cœli motu gaudebũt, & agitatione perẽni se vegetabit æternitas, Chriſti Domini patientis hiſtoria recẽſenda eſt. Sed tot miſteria pertractare non audeat, qui præceptis ſalutaribus non eſt monitus, & diuina inſtitutione formatus non candet. Vetitum eſt peccatori enarrare iuſtitias Dei, ſi Dei teſtamento pollutum non imponitur os. In labijs impiorum opera charitatis non ſonant. Nunquam noſcet in oratione dominicali arcana diuinitatis impietas. Ex illa æternum gloriæ pondus hauritur, ad illã pertinet, quod in cor hominis non aſcendit, in illa tota Chriſti paſſio peroratur.

Pater. Cap. LXXVII.

Hac

HAc voce Patris audire videor Chriſtũ in horto clamantem, Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Terrent me guttæ ſanguinis decurrentis in terram; dum immenſus dolor per omne membrum in sanguineum ſudorem erumpit. Quæ ſolum oculis hauſta eſt è calice, vndique eructat ebrietas tormentorum. Vno hauſtu deguſtatæ ſunt alapæ, contumeliæ, ſpinæ, flagella, claui, crux. Sparſum eſt ſenſus per omnes quicquid veneni ſeruabatur in calice; feriunt aures ſacerdotum coniurationes, populorumque tumultus: lacerant humeros iniqua iudicum, regumque iudicia: perturbant mentem irriſiones: amicorum periuria lancinant cor.

Qui es. Cap. LXXVIII.

NOn eſſe Deum, aiunt, inſipientes, ſi cũ facibus Solē quærunt: ſi vinculis mũdi liberatorem obſtringunt. Deum non eſſe declarant diſcipuli, ſi alter auaritia captus amorem oſculo prodit, alter metu perterritus à veritate degenerat. Fortaſſe miraculis, quę tot egit in terris, non patuit Deus? Qui loquutus eſt verba vitæ, nil ſonat humanum: qui poſt aurum non abijt, de hoc mundo non eſt. Sed quicquid homines negant, elementa fatentur. Nequit crudelitatis geſta ſpectare cœlum, & atro ſe obnubit amictu. Impios ferre auſus terra non valet, & rupta ſtabilitatis compage contremit vniuerſa.

Sanctificetur nomen tuum. Cap. LXXIV.

NOmen, cui conuenit ſanctitas, quod honor decet, & gloria, datum eſt canibus,

factum eſt opprobrium vicinis, & notis. O quali perfidia laniatur conuicijs, deturpatur iniurijs! Quod in cœlo matutinis laudatur ab aſtris, in terra à iudicibus illuditur inimicis; & quod antea oleum ſonabat effuſum, modò vndequaque cruore ſcatere ſpectatur. Quod turri comparabatur fortiſſimæ, indiget fulcimento columnę, & è quo cuncta fluebat salus, nunc nulla in ipſo ſanitas eſt. O lachrymæ, ò gemitus! Viribus languеſcit orbatum, cui flectitur omne genu: comprehenſum eſt à tenebris, quod permanet ante Solem.

Adueniat regnum tuum. Cap. LXXX.

ALiud ſibi regnum Chriſtus in mundo nō eligit, quàm dolorum. In valle lachrymarum, niſi ſpinæ caput coronare non debēt: vbi cuncta in vanitate deficiunt, ſolummodò decet manu geſtare ſceptrum arundinis. Vbi ſepta eſt maledictionibus terra, duntaxat deliciæ ſunt tormenta, labores, anguſtiæ. Summa regni huius ambitio crux eſt, in qua ſalutatur is Rex, qui pluribus affluit pęnis, è quibus argumenta trahuntur honorum, & laudū.

Fiat voluntas tua. Cap. LXXXI.

QVi ſerui formam accepit, voluntatis eſt inops: iuſſa, quæ peragat, expectat à Domino. Tandiù mortem fugit, quandiù nō venerit hora. Sumit oblatum è cœlo calicem, & præbens percutienti maxillam, ſaturatur opprobrijs. Præparatū ſibi torcular calcat ſolus, & fieri vſque ad mortem obediens non recuſat. Ex obedientia victoriam conijcit, & exinanitus cùm fuerit, ſperat aſcende-

re triumphator ad cœlos.

Panem noſtrum. Cap. LXXXII.

CHriſtum crucifixum adoramus in pane, qui flagellis iudæorum eſt pinſitus, & igne ſuæ propriæ charitatis eſt præparatus; qui ſubiecto carens, accidentibus eſt contentus, & inuiſibilia in viſibilibus cælat. Exaltatus à terra venalis in ſtatera crucis appenditur, vbi cæteri hominum filij ſunt mendaces, & inuentus eſt habens omnia. Cor confirmat, & vitam confert æternam. Illum, bone Latro, tu primum confeſſione verborum emiſti, & Paradiſi immortalitate potitus es. Beati ementes, qui cuſtodiunt illum in animo. Nil ſiniſtri in hoc mundo timebunt, & in ſęculi conſummatione locati ad dexteram, in ſanctorum ſplendoribus euolabunt ad regnum.

Da nobis hodie. Cap. LXXXIII.

LAtro ille, qui viuens rebus inhiauerat terræ, adhuc moriens regni cęleſtis theſauros affectat. Illas occupauerat commiſſione malorum, hos rogat confeſſione. Illas popoſcerat minis, hos poſtulat precibus. Impetus adeſt vtrinque. Efflauerat tamē illinc ſpiritus malus, hinc ſpiritus Dei. Effluxerat illinc ſeruitus, hinc libertas. Diuinitas, quæ in miſeratione menſuram nō recipit, ęgris mortalibus opem negare neſcit. Cœlum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Exoſa eſt cœlo ſegnities. O ſi boni Latronis huius ad inſtar vnuſquiſque noſtrum à Domino identidē miſericordiam poſceret, ſibi tandem audiret di-

ci, hodie mecum eris in Paradiſo.

Dimitte nobis. Cap. LXXXIV.

QVamuis felle, & aceto potatus Chriſtus Dominus verba vindictæ non fundit, ſed amoris; orat pro hoſtibus indulgentiam, & facti ignorantia delictum excuſat. In teſtamento pacis hæreditate neminem declarat indignum. Irarum irritamenta charitatis ſunt argumenta. Charitas, quæ nunquam excidit, efficit quod naturæ non conſonat. Ciſternas diſſipat odiorum, & fontes aperit gratiarum. O bone Ieſu, quid iam ſperabunt amici, ſi quoque veniam inimicis adornas?

Sicut & nos dimittimus. Cap. LXXXV.

NIgra cœlum ferrugine obductum cæteris aſſentientibus elementis inueheretur in hoſtes Chriſti, tumultuaretur in tonitru, diſrumperetur in turbines, & collaberetur in fulmina: ſed Chriſto hoſtibus ignoſcēte, cœlum etiam ſepoſitis iracundiæ motibus diſcit ignoſcere. Parcit minis, parcit fulminibus. Mœret tamen de ſui Creatoris acerbo funere, & oculos ſuos Solem, & Lunam appellat ad luctum. Prohibetur ignoſcenti vindicta, non interdicitur dolor. Conceptum dolorem occulere difficillimum eſt. Cœlum, cuius munus eſt cuncta diuinitatis arcana cælare, tanti doloris ſenſus cælare non poteſt.

Et ne nos inducas in tentationem.
Cap. LXXXVI.

SI Dei filius vnigenitus querens ſe derelictum à Patre tendit ad mortem; nos mortales, cùm à Domino derelinquimur, in quæ

mor-

mortis pericula corruemus? Noctis tenebras affert abſentia Solis. Inter ca cas calamitates alligamur catenis errorum. Nullam ſalutis agnoſcimus viam: ſemper recentioribus obruimur malis. Omni miſeria abundat, qui à Domino procul eſt. Confuſioni exhorreſcit obſtrictus, & æternæ ruinæ finitimus paciſcitur cum inferno. Cruci ergo, mortales, configamur cum Chriſto, vbi clauis deuinctus æternum nos manet. Nihil à Chriſto nos ſeparet. Si torquemur cum Chriſto, vita hominis eſt beatitas: ſi aberramus à Chriſto, vita hominis eſt tentatio,

Sed libera nos à malo. Cap. LXXXVII.

PEracta Chriſti tragedia, exclamate, vos inclyti Patres, libera nos à malo? Vos, qui viam Domini cuſtodiſtis, expectate liberatorem? Lucem Solis non præſtolantur, qui ſurgentis Auroræ non viderint ortum. Ad vos, qui teſtamentum non corrupiſtis, propitius ecce aduenit Sol iuſtitiæ. Diſponet cuncta ſuauiter. Non amplius victor tenebrarum princeps ſuperbiet. Cœca inferorum euerſurus eſt regna, veſtræ ſeruitutis diſrupturus eſt retinacula, & Paradiſi lætanter reſeraturus eſt fores.

Libera nos. Cap. LXXXVIII.

COelo ſideribus obcœcato, terra ſtabilitatis oblita, rerum deficiente natura, exclamant aſtantes, verè Filius Dei erat iſte. Commiſerantur, & timent: ingemiſcunt, & plorant. Timent in ſemetipſos aduerſa cuncta parari, & pacem rogant: plorant futuræ cap-

ciuitatis exitia, & miſericordiam poſcunt. Aduertunt poſthabitam innocentiam ſceleri, & iuſtum morti turpiſſimæ adiudicatum. Prænoſcunt diuinum è mundo ſanguinem exquirendum, & clades maximas ab impietate progigni.

Quid ſignificet, patenam ſumere, quæ latebat ſub corporali. Cap. LXXXIX.

PAtena, quæ ſumitur latens ſub corporali, ſignificat animas Patrum, incolas tenebrarũ, quas fractis Erebi portis vindicat Spiritus Domini ſub ſigno crucis in libertatem. Hæc eſt prima libertas, quam mundi Redéptor attulit mundo. Auerni monſtra ſunt domita non claua, ſed cruce. Facta eſt digna cęlo captiuitas, coluberque tartareus victorias amplius numerare dedidiſcit. Ab expugnatione ciuitatis mendacij veros incipit ſperare triumphos humana mortalitas. Mortalis homo ad cœlum oculos attollere non auderet, niſi Chriſtus, qui eſt ſuper omnes gentes excelſus, deſcendiſſet ad inferos, & ab initio ſæculi electos euocaſſet ad oſcula.

Hoſtiæ fractio. Cap. XC.

INdicat hoſtiæ fractio Chriſtum è cruce defixum. Quem meditamur auulſum à cruce, illicò caput ſuum in matris gremio reclinantem, & tot pœnarum procellis iactatum tandem inter brachia matris à ſupplicijs feriantem. O nulli aſſimilandum dolori dolorẽ! Lac, quod ſimulac natus ab illius vberibus hauſit, ab illius oculis mortuus exigit commutatũ in lachrymas. Applauſus paſtorum, & An-

& Angelorum,quos natus ad lætitiam matris excierat,mortuus conuertit in elementorum, & ſiderum amaritiem, & mœrorem. Redigit tot gaudia in luctum, & in quinque vulnera fontes aperit Saluatoris.

Diuiditur in tres partes. Cap. XCI.

IN tres partes diuiditur hoſtia, quarũ pars minor tumulatur in calice: reliquæ duæ ad agni comeſtionem animæ reſeruantur. Qui ſenſus mœroris percipi debẽt in funere? quos letitiæ affectus exprimere conuenit in conuiuio? Propè hoc ſepulchrum lachrymis caret, qui hæreditatis eſt expers: ad menſam hanc lætabundus nõ venit,qui charitatis eſt exors. Affert in iſto triſtitia voluptatem: in iſta ſapientiam auget ebrietas. Angeli ſedent in iſto, Angeli edunt de iſta. Integritate mentis inuiſitur tumulus Chriſti: ſimplicitate cordis comeditur in menſa Chriſti. Vtrãque ad partem itur æquali fortuna, ſi vtrinque proſilit ſalus, & vita;producitque immortalitatis coronam exitus vtriuſque.

Per õmnia ſæcula, &c. Pax Domini. Cap. XCII.

IN tribus crucibus dies tres corpus Domini permanſurum in tumulo, ſed pacẽ Domini in cordibus noſtris perpetuò duraturam accipimus. Quandiù Dominum induerimus Chriſtum, tandiù ſalutaris à nobis non aberit pax. Noſtram in Chriſto duntaxat nanciſcimur pacem. Qui Chriſto reſiſtit, paci reſiſtit. Chiſtus, qui vtraque fecit vnum, vel multitudini cor vnum, animamque largitur vnam:

in pulchritudine pacis ſedet iuſtus, & innocens. Cogitationes pacis impius neſcit. Opus iuſtitiæ pax eſt, quæ legem diligentibus datur, & innocentia cuſtoditur.

Hæc commixtio, & conſecratio. Cap. XCIII.

CORporis, & ſanguinis Chriſti in calice facta commixtio, commiſceri Chriſto nos docet, vt huic ſæculo conformari aſpernantes, Chriſti paſſionis inſignia referamus: impiorum obducamur opprobrijs, & impetu rapiamur iniuriarum: Aptemus humeros ad flagella, & frontem accommodemus ad ſpinas: Crucis ſolium expectemus, vbi honores ſunt vulnera, & claui: vbi commeſſationes ſũt acetum, & fel. Omnia præter crucem ſubiacent vanitati: nullibi, niſi in cruce, clauata rutilat veritas.

Agnus Dei. Cap. XCIV.

SVb Agni vocabulo Chriſtus Dominus à mortuis ſurgens ter inuocatur, bis ad miſericordiam, ſemel ad pacem. Miſericordia petitur, cùm per figuram, & prophetias oblatione ſui ſpontanea mundi piacula deleturus agnoſcitur. Pax verò quæritur, cùm natus ab Angelis Redemptor ſalutatur in terris, & digito Præcurſoris oſtenditur. Miſericordia repetito clamore petenda eſt, quandiù peregrinamur in via: peregrinationis ſolamen, miſericordia eſt, cuius ſummoperè ſpes augetur Agni manſuetudine. Sufficit tamen vnam habere pacem cum agno, vt conſurgentes verè cum Chriſto, flebiles veneremur loca clauorum, & plenitudo nobiſcum diuinitatis inhabi-

habitans vſque ad finem ſuperſit.

Domine Ieſu Chriſte, qui dixiſti. &c.

Cap. XCV.

PAcem nobis dat Dominus, cùm inſufflãdo ſanctum nobis Spiritum dilargitur. Pace viuere meliori, non poſſumus, quàm cùm viuimus Spiritu ſancto, quo corruptibile corpus noſtrum corruptionem dediſcens, virtutum libratur in alas, humanis ſoluitur legibus, & ad pacis cogitationes incumbit; quo noſtra mens in ſeruitutem redigens carnem, cæleſtis ſuauitatis fit capax, inter mundi tenebras reperit lucem, & quando cuncta agitantur quietis ignara, quieſcit. Non eſt pax, neque quies, vbi Spiritus ſanctus non eſt. Oculi non vident, vbi ſancti Spiritus flãma non rutilat. Ocioſæ torpeſcunt manus, vbi ſancti Spiritus calor non æſtuat. Fugit ab igne Spiritus ſancti tentatio, & propè Spiritus ſancti radios turbamenta vaneſcunt. Ægritudines animi nullas admittit, qui viuificat omnia,

Domine Ieſu Chriſte. XCVI.

NIſi Chriſtus vſque ad mortem obediens extitiſſet, collapſa mundi machina in priſtinum reſtituta non eſſet. E' morte Chriſti rerum vniuerſitatis refloruit vita. Oportuit Chriſtum curru crucis triumphum duxiſſe ſuum. Nunquam reuixerat, quod perierat, ſi Chriſtus, ſpiritus oris noſtri, non expiraſſet. Nouimus ortam ſalutis diem è tenebris illis, quæ ad Domini exequias acceſſerunt. Liberauit nos ſanguinis pretio mancipata diuinitas,

&totum genus humanum accerſijt ad coronas gloriæ ſpinis coronata maieſtas. Clauis illis trabalibus, quibus cruci confixum eſt corpus Chriſti, noſtræ ſpei certioris adiudicauimus firmitatem. Quæ gratiarum fluenta manarunt è latere? Quæ dulcedo prodiuit è poculis venenatis? Quantum calamitatis in mundum transfuderat Adam, tantum beatitudinis excitauit in mundo Chriſtus.

Perceptio corporis. Cap. XCVII.

CHriſtum ipſum inuitare debemus ad cęnam, cùm Chriſti corpus ſumpturi ſumus. Menſam exornat amabilis hoſpes, & in conuiuio amoris affert ſatietatem oculorum intuitus. Magnam inuenimus fruitionem in Chriſto, qui vel ſi in Cerere lateat, vel ſi fingat longius ire, beneficijs animos replet. Gratia non deeſt, nec gaudium, vbi Chriſtus eſt præſens. Præſente Sole nunquam declinat ad veſperum dies, neque noctis formidatur aduentus. Omni temporis interuallo frumentū comeditur electorum, & vinum libatur, quod germinat virgines.

Panem cæleſtem accipiam. Cap. XCVIII.

OBdureſcimus, lapideſcimus, ſi panem cæleſtem accipimus, & oculi noſtri ſemper cœcutiunt. Quando videbunt, ſi in lumine lumen non vident? Quid prodeſt ſolem tractare manu, ſi ſedemus in tenebris? Oculos habere ſub fronte, ſi lux veritatis abeſt à mēte? Temporalibus paſcimur, & æterna nō cernimus: à malo non declinamus, & inter hoſtes viuere non horremus. Si cæci ſumus, cur

à mi-

à miniſterio non repellimur? Cęcitatem altare non patitur. Dedecet Dei miniſtros aliam referre ſimilitudinem, quã ignis, cuius color eſt lux, cuius ardore ſaxa, & æra molleſcunt, & ad quem pertinet flammis examinare argẽtum, & aurum.

Domine non ſum dignus. Cap. XCIX.

SIi triplici lapſu labimur in errores, triplici noſtræ indignitatis confeſſione poſcamus auxilium. Delinquimus corde, quia cor non allidimus petræ: peccamus verbo, quia verbum veritati non ſubdimus: deficimus opere, quia opus non mancipamus iuſtitiæ. Tribus his vitijs obligamur, quia ſolius amore Chriſti, qui reſurrexit, non rapimur. Petra, veritas, & iuſtitia ſolus eſt Chriſtus. Si Chriſti ſolius adhæremus mandatis, innitimur petræ, quæ nullis procellarum flatibus agitatur: ambulamus in lumine veritatis, quæ tenebras confuſionis expellit; & operamur iuſtitiam, è qua proſilit exaltatio.

Corpus Domini noſtri. Cap. C.

O Quid experimur arcani, dùm comedimus corpus Domini! Palpamus, videmus in ipſo id eſſe, quod erat. Quicquid antea excitauerat charitatem, modò beatitudinem confert. Intellectus, & vitæ guſtamus eſcam, & coronas auſpicamur æternas. Agnoſcimus quaſi agri pleni ſuauitatem odoris: videmur videre quiddam, quo nihil eſt videre iucundius: intuemur in eius oculis coruſcare miſericordiam: aduertimus demanare ab eius manibus beneficia, è ſuis ſpinis carpimus flo-

res,in ſuis vulneribus gratiarum nanciſcimur fontes. *Quid retribuam Domino.*

Cap. CI

FAllimur, ſi maiores agere Domino gratias opinamur, quàm cùm calicem ſalutaris accipimus, Dominique nomen inuocamus in veritate. Maxima gratitudinis portio eſt bibere calicem, quem ipſe iam bibit, ipſiuſque adorare nomen, quod oleum olet effuſum. Multum importat amoris hærere veſtigijs Domini, qui dies ſuos accommodauit õnes ad crucem, & ornamento crucis compoſuit omnia. Oportet, vt crucis ſequatur vexillum, quicunque ſalutis amator eſt,ſi vnica hominum ſalus pendet è cruce. Propinatur calice crux, nec ſine calice fructus libantur crucis. O quæ, cùm nomen Domini inuocatur ad laudes, è calice, & cruce proueniunt beneficia! Hoſtium impetus euaneſcunt. Coronæ ex aduerſitatibus germinant, & leguntur è lachrymis gaudia.

Sanguis Domini noſtri. Cap. CII.

O Me beatum,ſi cuſtos animæ meæ factus eſt ſanguis Chriſti! Non amplius mihi cor obdureſcet, ſi vel adamas agni ſanguine frangitur. Si vita viget in ſanguine,& paſcor ſanguine Chriſti, cur non dicam in me viuere Chriſtum?Induit Chriſtum homo meus interior, & in flagellis, in clauis,in cruce delicias aſſequor. E tormentis auſpicor gloriam, è calamitatibus fauſtitatem interpretor. Tũc certior vitæ, cùm mortis timore correptus: tunc palmarum ſecurior, cùm ab hoſtibus vn-

vndique circumſeptus.

Quod ore ſumpſimus. Cap. CIII.

NOn parum dat nobis, cùm nobis manducandum ſe dat. Panem comedimus Angelorum, & diuinitatis conſortes efficimur; ſed non poſſumus corporis tenere complexibus, quem fidei perfectione non tangimus. Diuinam præſentiam non cognoſcimus, cùm fidei ſoliditate non roboramur. Fides eſt animæ lumen, quo paratur iuſtitia, quo cernitur Deus, quo ſcelerum tenebræ repelluntur, quo celeriter innocentia comparatur. Si fides non adeſt, & meritum, & retributionis obſequium abeſt. Vbi conuenit os cum mente, cibus cæleſtis gutturi proficit. Dominico corpori, quod ore ſumimus, præparat puritas locum in mente. Ex ore puro tranſit ad mentem puram. Grata ſolum eſt puritas Deo, ſine qua nulli pateſcit ſalutis iter: ſine qua ſtolam immortalitatis induit nullus.

Corpus tuum Domine. Cap. CIV.

NEc ſęculi faſtu, nec terræ diuitijs trahimur, cùm Chriſtum hoſpitamur in corde. Aliena luce non eget, qui permanet ſemper cum Sole. Quando è cœlo totum accipimus, fruſtra partem in terra depoſcimus. Totum eſt Chriſtus, qui ſecum fert omnia. Aurum optimum geſtat in capite, & diffundit è labijs ſapientiam: plenas hyacinthis oſtentat manus, & nutu diſtribuit regna. Enumerat palmas in comis, & gratiarum fluenta diſtinguit in oculis. Totus eſt pulcher, & totus deſiderabilis. O nos felices, ſi illi cor germinans

nans lilia præparamus! Ille duntaxat inter lilia paſcitur, & præter lilia in mundo diligit nihil. *Ablutio digitorum.* Cap. CV.

DIgitos poſt ſumptum Euchariſtię Sacramentũ abluimus vino, & aqua, vt igne cæleſti tantum in corde contenti, ignis amplius alienus non admittatur. Ignis alienus eſt quodlibet deprauatę cupiditatis incendium. Non decet, vt quò flammas ſemel effudit diuinus amor, ardores iterum iaculetur illicitos prophana libido. Aqua, & vino abluendi ſunt digiti, ſcilicet actiones, quando diuinis cor æſtuat ignibus. Parum, aut nihil proficit pœnitentia, ſi à charitate ſeiungitur. Aqua portenditur pœnitentia, vino charitas excitatur. Charitas eſt finis præcepti, & virtutum omnium radix, ſine qua languet fides, ſine qua ſpes non vireſcit. Quid ſperare poſſumus, vbi pœnitentia locum non habet? Quid metuere non debemus, vbi ſcelera lachrymis nõ fugantur? Lachrymis charitas reuocatur, quæ vitiorum exoſa ſordes exceſſit. Præſtat vtrãque adipisci, ſi pendet ab vtraque ſalus. Quãtum eſt in vna fiduciæ, tantùm eſt in altera fortitudinis. Vna poſtulat innocentiam, altera cumulatum expoſcit amorem.

Communio. Cap. CVI.

PEr communionem, qua peractum ſalutis opus oſtenditur, gratias agimus Saluatori. Genus humanum aſpicimus tartarorum vinculis exolutum, & primæua libertate donatum: Mundi elementa fulgere lucidiora, & pœnarum ablegare miſerias: ſidera fauſtos

de-

depluere influxus,& lætiora manifeſtare ſpectacula. Lætamur frui theſauris, quos Angeli proſpicere concupiſcunt; gloriamur inſtar niuis candeſcere, & ad ſimilitudinem Aquilę renouari; exultamus Dei filios poſſe fieri, & cœlorum hæreditate potiri. O' quid beatitatis accipimus, ò quo dignamur honore! De morte ad vitam, de captiuitate ad triumphũ, de doloribus ad coronam trãsferimur. Argumenta admirationum opprimit beneficiorum immenſitas, ceſſantque gratulationis officia, vbi gratulationẽ præoccupat magnitudo miraculorum.

Oſculum ad altare, & Dominus vobiſcum.

Cap. CVII.

NVnquam Dominus in multitudine cõmorabitur, niſi charitas præcedat, & vnitas. Oſculo ſancto, quod figitur ad altare, fidelium charitas, & vnitas deſignatur. Vbi credentium cor vnum,atque anima vna inuenitur, ibi Dominus adeſt. Nec charitas, nec vnitas ſine Domino dari poteſt, ſi charitatis, & vnitatis principium Dominus eſt. Regnat iniquitas quotieſcunque pietatis inſignia non flammeſcunt. Non recipitur Dominus, niſi prius diſſenſiones euellantur ex animo. Dominus charitas eſt, Dominus vnitas eſt. Quicunque diſtat à Domino, nec charitati, nec vnitati conſentit, & nemo dignus eſt Domino, qui charitatis, & vnitatis officia neſcit. Nõ eſt diſcipulus Chriſti, qui charitatis charactere non fulget, & in confuſionem identidem cadit, qui ab vnitate diſcedit.

Poſt communio. Cap. CVIII.

APoſtolorum lætitiã, cùm Chriſtus reſurrexit victor, ſignificat poſtcommunio. Par fuerat, vt ſocij paſſionum conſolationis non eſſent expertes, & quos Chriſti patientis afflixerat funus, eoſdem exhilararet Chriſti rediuiui triumphus. Illuc, vbi præceſſerat nox tormentorum, appropinquare retributionis debuerat dies. Quicquid in Chriſti paſſione condoluit, in Chriſti reſurrectione gauiſũ eſt. Sol ipſe, qui Chriſto laborante defecit, lumen Chriſto reſurgente congeminauit. Eædem petræ, quæ Chriſto mortuo ſciſſæ ſunt, Chriſto ad gloriam remeante, tripudiare cœperunt. Tunc omnibus animam ponendi, & ſumendi patefacta poteſtas eſt: tunc corruptio in incorruptionem, in immortalitatem eſt translata mortalitas. Tunc in lucem conuerſæ ſunt tenebræ, & redditum eſt terrenis cœleſte commercium.

Ite miſſa eſt. Cap. CIX.

HIc cernimus Chriſtum, qui in terras deſcendendo, à Patre non abfuit, & aſcẽdendo ad cœlum, à diſcipulis non diſcedit, proficiſcentem è mundo non alio curru, quã nube, quæ pluuiam paritura linguarũ, à verbi commercio linguas cõcepiſſe monſtrabit. Naturam miramur humanam alis ventorum euectam, plauſibus Angelorum aſſociatam ad ſidera peruolare, & ſedis participem eſſe diuinæ. Intuemur captiuitatem in altum adductam lucis ornamento muniri, obliterari maledictionũ opprobria, & mortis dediſci calamita-

mitates. Agnoſcimus mundum à procellarum periculis feriatum, & arcum perpetui fœderis refulſiſſe. Proximum præſentimus diuini conſolatoris aduentũ, & totius Deitatis oracula reuelari. Pro certo habemus abijſſe argumenta gemituum, euanuiſſe cauſas dolorũ. O ſi nos etiam cogitationibus illum ſequendo attolleremur ad cœlum, & à carnalibus deſiderijs abſtinentes, cœli duntaxat peteremus honores! Illum, vt in diſceſſu lætantem aſpicimus, aſpicere ſperaremus indulgentem in reditu.

Placeat. Cap. CX.

QVantumuis hac prece Sacerdos commẽdet Deo ſacrificium, & ſeipſum, recens precis illius exhibetur memoria, qua perſeuerans credentium populus rogabat promiſſũ Spiritum ſanctum. Precibus non intermiſſis promiſſa conſequimur. Oratio ſedula nunquã redit inanis. Malè precamur, cùm ſucceſſus precibus non reſpondent. Petentis eſt culpa, cùm de miſericordia concedentis dubitatur. Iugis orationis robur quis neſcit? Oratione vincuntur hoſtes. Precationibus nil reſiſtit, ipſi Deo vim facit oratio. Commune opus Angelorum, & hominum eſt orare; ſed tunc tantummodò rectè oratur, quando oratione, præter Deum, nil aliud petitur.

Benedicat. Cap. CXI.

SPiritus ſancti è cœlo delabẽtis in linguas ſubit in benedictione memoria, & tot beneficiorum repetuntur inſignia. Libertate iam conſequuta poſt immolationẽ agni quinqua-

 geſi-

geſimo die, aut legem, aut gratiam compara-ri teſtamentũ teſtatur vtrumque. Extitit gratiæ prænuntia lex, ſi legis adimplementum enituit gratia. O quanta donorum Apoſtoli repleti ſunt abundantia! Imbres chariſmatũ, flumina benedictionum adepti ſunt. Renouati ſunt inſtar Aquilæ; & ignito vixere ſpiraculo amoris. Doctrinam didicerunt ab igne, & ad Dei miniſterium ignis violentiam expreſſerunt. Tormenta, cruces, flagella, mortem nihili faciebant. Quicunque examinatur hoc igne, fit auro perfectior, & nullis obnoxius eſt opprobrijs. Per cuncta rerum diſcrimina properat ad coronam, & radicatus in Chriſto ſcrutatur incognita; cohæres eſt Chriſti, & Dei magnalia loquitur.

In principio. Cap. CXII.

ABſoluitur Miſſa Diui Ioannis euangelico oraculo. Opus Chriſti compleri debuerit dictis duntaxat illius, qui in Chriſti pectore biberat ſapientiam. Nemo, niſi Ioãnes, nouit tam clarè gloriam Verbi, quo facta ſunt omnia, ſine quo factum eſt nihil, cũ noſtra ſuſcipiens, propria non amiſit, & in homine hominem renouans, in ſe permanſit incommutabile; cùm, vt nos ſeruilibus ſolueret vinculis, ſerui formam accepit, &, vt nos Dei filios faceret, hominis filius dici non dedignatur: cùm, vt nobis elargiretur immortalitatem, fons vitæ factus eſt obediens morti. Fortaſſe homo breui tempore viuens æternitatis beneficio frui non potuiſſet, niſi tempori ſubderetur, qui finis eſt inſcius. Exiuit è Pa-

è Paradiſo, & deſcendit in terras, tanquam ros, ſicut imber, vt ſuum rigaret hortum, & immortalitatis refloreſceret radix. Eras tu ille hortus, Beatiſſima Virgo, hortus ille concluſus, gratiarum aquæductu circumdatus. Liliorum odore fragrans, vbi radicat in ſemine benedictio, vegetat in germine ſanctitas: vbi flos miraculum ſapit, diuinitatem redolet fructus. Vitam ab illo cognoſcimus excitatam in mundo, quæ iam caſu primæui parentis ob alium fructum euanuit. Qua nunc claritate fulgeret humanitas, ſi Verbum Domini miſſum non eſſet in Iacob? Iræ filij iniquitatibus viueremus obſtricti, obliquos ſequeremur ſerpentinæ deceptionis anfractus, abyſſum adiungeremus abyſſo, & veræ fidei nunquam particulam lucis intueremur. Speculum lucis meditamur in verbo, cuius radijs non iacemus in tenebris, nec mortis vmbrã metuimus; cuius lumine lumen aſpicimus, & de virtute progredimur in virtutem. In hoc Verbo data eſt nobis omnis ſpes. Pacem, quæ omnem exuperat intellectum, inuenimus in Verbo. Theſauris, quos non ſurripit fur, neque tineæ, neque erugini ſubiacent, donamur à Verbo. Lucerna pedibus noſtris eſt Verbũ Domini, qua tutiſſimè ſemitas iuſtitiæ currimus, & ad Dei montem aſcendimus. Non omnes capient Verbum iſtud. Væ illis, quos hoc Verbum videndi, vbi cubet, vbi paſcat, non tenet cupiditas in meridie, quando ſub media nocte paſtores tranſierunt in Bethleẽ feſtinanter hoc Verbum viſuri. Illi adoptio-

nis titulum non merebunt, & veluti plantæ, quas Pater cęleſtis agricola non plantauerat, ab radice deficient. Partem non habebunt in Iſrael,& tanquam indigni cęlorum non attingent hæreditatem. Ab hoc Verbo præparatur voluntas hominum, & donum timoris emanat. Ab hoc Verbo laborantes vocantur ad requiem, & promittitur corona pugnantibus. Mundus, qui cæcus eſt, iſtud nec veneratur, nec videt. Filij lucis, filij promiſſionis recipiunt iſtud, & præſeruantur ad gloriam. Ex Deo nati perſeuerant in fide, & agunt victores ex illecebris mundi triumphum.

De Officio. Cap. CXIII.

ECcleſiaſticorum pręcipuum munus eſt ad Dei laudem horas canonicas recitare, quæ ſimul diſtinctæ in ſeptem, *totius* Dominicę paſſionis ſpectacula repræſentant. Tempori, quo Chriſtus Dominus noſter captus, vinctus, & illuſus eſt odio Iudæorum, matutina reſpondet. Diſcurſus per tot tribunalia primæ tribuitur. Quicquid iniquitatis Iudæi moliti ſunt in palatijs iudicum, aſcribitur tertiæ. Cruci manuum, pedúmque confixio, titulique regalis inſcriptio, ſpectat ad ſextam. Creatoris occaſum nona miratur, quando cęlum nigris obducitur tenebris, & ad tantum impietatis deficit natura conſpectum. Deponitur veſpere diuinum cadauer è Cruce. Tumulus Chriſti conſideratur in Completorio. Apud fideles Chriſti memoria paſſionis nihil eſt in mundo decentius. Siuè vigilia, ſiuè ſomno occupamur, Dominicæ paſſionis inſignia

non abſint à mente. Actum quemcumque noſtrum dominicæ paſſionis, vel dicta, vel inſtruméta ſequantur. Si vanis oblectamur illecebris, ſubeat ſtatim imago Chriſti ſudantis in horto. Si amicorum familiaritate gaudemus, oſculi recordemur, quo Chriſtus eſt proditus, metumque meditemur diſcipulorum, quo magiſter eſt derelictus. Si gloriamur in veſtibus, Chriſtum illuſoria purpura intueamur indutum. Si poteſtate, aut dominio attollimus ſupercilium, Chriſti frontem adoremus præcincta corona ſpinarum. Si otio fruimur, & quiete, columen mundi columnæ innixum pudeat nos aſpicere conuicijs verberatum. Si dapibus, & poculis inhiamus, noſtram cōpeſcat auiditatem langueſcens vox Numinis ſitientis in cruce. Si vitam cum æternitate paciſcimur, arbitrum vitæ cernamus ſuccumbere morti. O quid gratiarum, ò quid fauſtitatis è tot tormentorum enumeratione ſperamus! Huius beneficio paſſionis nec cœlum æneum, nec terram ferream experimur. Nulla nec cœli, nec terræ malignitas eſſe poteſt, vbi noſtros ferendo languores in medio terræ ſalutem operatus eſt Deus. Inter has pœnas moremur. Incipiamus ab horto, deſinamus in cruce: incipiamus à calice, deſinamus in tumulo. Nullo tempore noſtræ redemptionis conticendæ ſunt cauſæ. Hos dolores ſi meminerimus, lætitia replebimur ſempiterna. Iter nobis ad cœlum, per Chriſti ſanguinem eſt. Non deceat amplius oculos, niſi ad lachrymas aperire, fauceſque inſuper, niſi ad

gemitus, non recludere. Iuuat flebilibus pertranſire ſingultibus æuum. Eſſe membra omittimus Chriſti, ſi quid agimus diſſidentes à capite Chriſti. Sine Chriſti vulneribus felices eſſe non poſſumus, ſi è vulneribus Chriſti felicitas noſtra ſcaturit. Chriſtum ſic amare tenemur, vt ſtigmata Chriſti noctes, & dies portemus in corpore. Cogit nos crucifigi cũ Chriſto neceſſitas libertatis. In doloribus Chriſti noſtræ ſecuritatis veſtigia reperimus.

De Mattutino. Cap. CXIV.

NOſtrum labia reſerare non eſt. Siquidem quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. Si nobis Dominus adiumentum non affert: ſi gemitibus inenarrabilibus pro nobis non poſtulat Spiritus, quid petamus, nos fugit: cui nitamur conſilio, fallimur. Spectat ad nos animam tantummodò præparare. Dominus dirigit linguam: Spiritus excitat cogitata. In ſummo errore, & in maxima rerum ignoratione verſamur, cùm virtuti confidimus noſtræ, & noſtro nauigamus arbitrio. Digito Domini gubernamur; aura ſpiritus ad portum appellimus. Nullo modo Domini ãbulabimus vias, niſi Spiritus adornauerit iter. Sub vmbra illius, quē tandiù concupiuimus, nunquam ſedebimus, niſi Chriſti rapiemur odore. Chriſti currimus in odorem, & paſſionis eius luſtramus inſignia, cùm hortum meditamur in matutinis, vbi diuini ſanguinis decurrentis in terram adhuc vaporat odor, vbi mors oſculo latuit perſonata, & Sol à tenebris viſus eſt comprehendi; vbi exinanita eſt

numinis forma, & à diſcipulis derelicta per-doluit. Nondum armatorũ acceſſerat cohors, & ſanguis effunditur. Lignum nõ aderat crucis, & anima fit triſtis ad mortem. Miniſtrāt Angeli pacis calicem tormentorum, & propriæ voluntati non ſtatur. Dominus ſubijcitur ſeruis, & author libertatis vinculis mancipatur. Antea quem aſtra laudauerant matutina, tenebrarum traditur poteſtati. O ſpectaculum durum, & atrox! Hymno, quo victoria reſonabat, & laus, proditio conclamatur, & funus. Pſalmis, quibus choreæ ducebantur ad arcam, tumultus perſtrepit iudæorum. Reſpiciunt hymni vocabula veneficium oſculi, vinculorum amplexus. Transfertur pſalmorum cantus ad armorum ſonitum, ad ſatellitum fremitus. Quantum coquitur conſiliorũ, & fraudum, in ſecretis indicitur. Funes, opprobria, contumeliç, quæ primitiæ ſunt dolorum, ex antiphonis dignoſcuntur. Irriſiones, ludibria, immanitates, quibus nex deſignatur, ex lectionibus emicant. Refert proſequi lachrymis tantç impietatis memoriam. Debitç commiſerationis officium diſſimulare non poteſt, qui tot opera charitatis enumerat. E Domini metu proſilit noſtra ſpes: à laqueis numinis manumiſſionẽ auſpicamur humanitatis. Quot nodis conſtringitur Deus, tot ærumnis orbis terrarum exoluitur. Actũ eſſet de nobis, ſi ſpiritus oris noſtri Chriſtus Dominus in peccatis noſtris captus non eſſet. Nullum gloriæ radiaret in mundo lumen, niſi Sol iuſtitiæ Chriſtus cunctas tranſiſſet per

ignominias. Nobis illam dulciſſime Ieſu,quę prodiuit è forti, dulcedinem præparaſti? Gauiſus es in gemitu laborare, vt nos in paradiſum voluptatis adduceres. Paſſus es cruciatibus opprimi, vt nos eleuares ad gaudia. E' tuis ſudoribus hauſimus otia:Nobis elargitus es flores,& palmas;pro te ſeruaſti tantummodò ſpinas, & clauos.

De Prima. Cap. CXV.

HOra prima cernimus Chriſtum, tanquã victimam cędi propoſitam, per varia tribunalia, ad varios iniquitatum iudices ductum, non ſecus ac per nundinas accuſantiũ, & mortium officinas; quibus in locis ſonant reſponſa blaſphemias, innocentia condemnatur ad virgas,& amictu ſtultitiæ ſapientia deridetur. Mendacijarguitur vox veritatis,ſupponitur culpæ iuſtitia,& virtutum omnium princeps comparatur inſanis. Speculum ſine macula ſputis impuriſſimis ſordet, bonitatis imago in opprobrium hominum cadit, & tenebrarum imperio captiuus ſubditur Sol. Neceſſe eſt, vt patiatur integritas, vbi dolis, & fraudibus dominatur improbitas. Ex improbitate producitur liuor, qui cœcum inſerit animo virus, & linguam, & manus accendit ad ſcelera. Laudem inſectatur alterius, & ſiſos in aliena iactura nançiſcitur quæſtus. Nulli parcit calumniæ, & os attollens in cœlum in numine reperit prauitatem. Effinge crimina, molire calumnias,improba ſynagoga?Innocens reus oppoſitas cauſas confutat ſilentio. Diuinum cùm ſilet Verbum, elementa loquun-

loquuntur. Diuini reuerentiam Verbi ſidera, ſaxa profantur. Omnes furiarum implentur partes. Quanto dedecore, quanta labe ſputis commaculatur, qui ſemper candidus,& rubicundus extiterat! Puritatem, qua non eſt purior, inquinare delectat. Sed etſi in eo nō ſit ſpecies, neque decor; ab eo tamen charitas abeſſe non poteſt. Qui tandiū hoc vitæ genus amauit, amare non deſinet. Opus ei nec decor, nec ſpecies eſt, qui formam induens ſerui, ſeruitutem à mundo duntaxat poſtulat ablegare. Mirabile quid ignotum ſuadet doctrina dilectionis! Pœnas nihili facit, dulcedinē carpit è forti, & ſubſtantiam deſpicit vniuerſam. Sponſus ſanguinum ad crucis nuptias tēdit, vbi tartarei Draconis conterenda eſt ſuperbia, vbi mortis confringenda ſunt arma.

De Tertia. CXVI.

ASpicit hora tertia ſpinis Regem gloriæ coronatum, columnæ ſolio innixum, in medio iniuriarum leges amoris ferentē, charitatis oracula promulgantem. E' columna fontes Saluatoris emanant: è ſpinis germina pullulant gratiarum. Illa quietis demonſtrat iter, vltra quam ſpes omnis eſt fallax; illę cōtinent verbum, quo facta ſunt omnia. O quot circundatur malis, qui ſanitatis eſt diſtributor! quot affligitur plagis, qui conſalator eſt vniuerſi! Columnę ſuſpenſum patientiæ trophęum apparet, quaſi lilium inter ſpinas. Vindex libertatis humanæ ſeruilem in morem conſtringi vinculis gaudet, ſibique ſeruari vult vepres, mūdo flores elargiturus. Sui capitis

pitis aurum optimum per ludibrium conuelli ſinit, dũmodò locupletetur humãitas: ſuorũ bina oculorum ſidera ſordido velo fert deturpari, dummodò tota hominum plebs cæcitate ſoluatur. Ita titulum appetit Redemptoris, vt magis clamoribus iſtis, crucifige, crucifige, lætetur, quàm applauſibus illis, hoſanna filio Dauid. Regnum mundi non quæſit, ſed vt Mundus regno reſtituatur, expoſcit. Impetu proprij ſanguinis illuc, vbi regnat iniquitas, conatur introducere ſanctitãtem, hæredeſque inſtituere nititur, quos parricidij non agnoſcit expertes. Dediſcit leonis ferociam, & agni manſuetudinem induit. Heù quantum ab illo *immutatus, qui in* cœlo, & vbique terrarum eſt rerum voluptas, & gaudium. Hinc in *noctem* degenerare incipit dies, tota contremit *tellus*, & ſaxa ſcinduntur. Cœlum nigra *ferrugine* tegitur, & Angeli pacis amarè *præparantur* ad lachrymas. Vtinam, & vnoquoque nos die Chriſti ſanguini ſacroſancto largiſſimè pro cunctis effuſo paucarum etiam lachrymarum offeremus vſuram.

De Sexta. Cap. CXVII.

VBi cubet, vbi paſcat ſponſus ſanguinum in meridie, vltra ſponſa doloris non quærat? Hora ſexta iam tandem cubat in cruce, paſcitur felle, & aceto. Clauis fultus languęſcit, ſpinis ſtipatus fatiſcit. Qui non habuit, vbi caput ſuum in preſæpio reclinaret, reclinat in cruce: qui cibum nactus in deſerto non eſt, experitur in ſpongia cibum, & potũ. Nudatus eſt veſtibus, & totum terrarũ orbem

bem tenebroſo circundat tegmine. Regis titulum, à quo ſemper in terris abhorruit, in cathedra tormentorum aſſumit. Medius inter latrones innumeras è faucibus orci prædas meditatur eripere, & crucis torcular calcans ſolus conatur omnes inebriare. Ad ſeipſum omnia trahens elatus à terra, concedit hoc vnum; vt de ligno vitæ comedant omnes, & pateant etiam hoſtibus oſtia gratiarum. O quę videt ab illa ſpecula! Futuram de longè proſpicit tempeſtatem, & cunctas Erebi machinas collapſuras. Suſcipe tamen, ò Sponſa, dilectum tuum, quem per vicos ſequuta es, & per plateas ſpecioſũ præ filijs hominum, ſpecie, & dignitate carentem, inuenis demum in gemitu laborantem, vt tuo dolori quiſquis dolor ſit impar, vt tuam ipſius animam doloris pertrãſeat gladius. Ad illius vltimos queſtus pacis Angeli flent amarè, & aſtra palleſcunt: ad tuos oculorum perennes fletus Templi cortina conſcinditur, & montium ſaxa ſoliditatis oblita franguntur.

De Nona. Cap. CXVIII.

QVoties nonam teti gerit horam Sol, reminiſcimur, derelictum à Patre, dolere Chriſtum, & inclinato capite emittere ſpiritum; tenebris cœlum obuolui, & terrę fundamenta nutare: montes colliſione confringi, rerumque vniuerſitatem flebiliter vlulare. Lachrymas inhibere quis poteſt, cùm ſaxa franguntur? gemitus diſſimulare quis valet, quando elementa nimio præ dolore vociferãtur? Nec lachrymoſior hac hora, nec triſtior

in motu ſiderum vnquam fuit, qua ſuprema cœli poteſtas ligno confixa palleſcit. Obſcuritate lux circunfuſa laborat, & vita acerbiſſimo ſoluitur exitu; qua voces ſanguinis prouocant alatos ſuperum choros ad fletum: clamores plagarum excitant corpora, quæ dormierant; execrationumque blaſphemiæ Solẽ, & Lunam obcæcant. Noua Domini patet in monte transfiguratio, quæ gloriam tamen non redolet, ſed miſeriam. Charitatis diuinę comprehenditur magnitudo, & humanæ nequitiæ condemnatur impietas. Attritus eſt Deus propter ſcelera noſtra, quicquid furoris in humanum genus concipiendum, ſuo capite Diuinitas expiauit. Vita mundus non frueretur, niſi vitæ dator morti ſuccumberet. Noſtros tulit mundi *inſtaurator* languores. Ipſe pro nobis hoſtia cecidit in ſuauitatis odorem, & in pingue pro nobis holocauſtum ipſe conſumptus eſt. Quid ni ſtare nos pudet proſtrato Deo? Quid ni procidentes in terrã, & capiti puluerem imponentes perpetuò tantum luctu deploramus excidium? Non dolemus nos filij acquiſitionis, cùm à Patre deſerimur, & morti adiudicamur æternæ. Amiſſo ſemel Deo, confeſtim amittitur vita. Exclamare nũc libet, quem funeris huius cura pietatis non turbat, ille durior ſaxis, non compoſitus elementis, nunquam conſcius rationis, ſemper lucis ignarus, compos dedecoris, cumulabitur pœnis, expers immortalitatis euaneſcet in nihil.

De Veſperis. Cap. CXIX.

VEſperaſcente die Pilati conceſſu corpus Chriſti diuellitur è patibulo; qui viuus eſt venditus, dono datus eſt mortuus. Perungitur aquè lachrymis, ac vnguentis: lachrymabilis, & pretioſa mors Numinis eſt. Munda inuoluitur ſyndone, nequidem extinctus immunditias ferre poteſt. Qui Patre iubente crucem aſcenderat, ex eadem, niſi alieno deſcendere recuſauit iniuſſu. Emerſus è pelago tormentorum, tandem in brachia matris inuenit portum. In ſtatione tàm tuta adeò procellarum potat obliuia, vt poſtridiè redux exurgat ad gloriam. Recenſet crinem, è quo tot vincula ſenſit, vt ferri formam accipiens, vinctus ad terras traheretur è cœlo. Agnoſcit oculos, è quibus hauſit tot vulnera, vt nimia charitate langueret abactus. Repueraſcit genitricis in ſinu, ſed pro lacte lachrymas poſcit, inſtitiſque non tendit ad cunas, ſed ad tumulum. Oſcula non quærit, cùm nouerit initium mortis ab oſculo; pariterque aſpernatur amplexus, cùm in amplexibus nactus ſit laqueos. Exigit quauis hora tributum commiſerationis, & querelarum. Indignũ eſt cõmiſeratione, & querelis non proſequi facinus illud, quod rerum vniuerſitas funeſto proſequitur apparatu. Fruſtra filium Chriſti ſe dicit, qui tantam Chriſti immerentis calamitatem non deflet; qui de tãti parentis ſæuiſſimo cruciatu querelas nõ exprimit diuturnas, nequicquã expectat hereditatẽ Chriſti ſupplicia hominum improbitatis ſunt argumenta:

in Chriſti vulneribus, errata totius leguntur humanitatis.

De Completorio. Cap. CXX.

HOra Côpletorij, qua ſcripturarũ côpleta ſunt omnia, Chriſti cadauer ſepulcro côditur alieno. Qui diuerſorio caruit naſcẽs, nec ſepulcrũ habere ſuum debebat extinctus. Mortis triumphator de ſepulcro nõ cogitat. Mortis victoria ſepulcrum victori pręparat glorioſũ. Neſcit in artubus numinis liueſcere liuor: emicat nitor è plagis: aſtrorum radios ſuperant comę pręcinctę ſpinis. Cernimus ſuper petrã Verbũ cecidiſſe diuinũ, & Solẽ latitare ſub lapide. Adhuc lapides flãmas amoris nõ ſenſerãt. Quis illos nũc neget flãmeſcere, ſi commoratur in illis cęleſtis amor, qui ignẽ venerat miſſurus in terras. Deerat hoc vnũ lapidibus, vt arderẽt, ſi paulò antè dolore fracti cęperũt molleſcere, quãdo mortaliũ pectora lapideſcere potuerũt. Mira virtus exibit è lapide: magna proueniet ex noui Adę ſopore felicitas! Exitũ tantę ſortis mẽs humana non capit. E latere noui Adę ſub lapide dormiẽtis ſpecioſa naſcetur Eccleſia, cuius gloria terrã reſonabit in omnẽ, extendetque cũ Sole manus, ſãctitatis elargiẽs characterẽ, pignus offerẽs hęreditatis, & ius donãs adoptionis, & regni. Nulla vis inferorũ pręualebit aduerſus eã. Fruetur côuerſatione cęlorũ, & charitate munita ſẽper augebitur, imperioq; creſcet, & dignitate. Fulgebit inter tenebrarũ obſcuritates impauida: inter hoſtiũ pugnas excellet inuicta.

Laus Deo.

A01 1467 6ZZ

gemitus, non recludere. Iuuat flebilibus pertranſire ſingultibus æuum. Eſſe membra omittimus Chriſti, ſi quid agimus diſſidentes à capite Chriſti. Sine Chriſti vulneribus felices eſſe non poſſumus, ſi è vulneribus Chriſti felicitas noſtra ſcaturit. Chriſtum ſic amare tenemur, vt ſtigmata Chriſti noctes, & dies portemus in corpore. Cogit nos crucifigi cũ Chriſto neceſſitas libertatis. In doloribus Chriſti noſtræ ſecuritatis veſtigia reperimus.

De Mattutino. Cap. CXIV.

NOſtrum labia reſerare non eſt. Siquidem quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. Si nobis Dominus adiumentum non affert: ſi gemitibus inenarrabilibus pro nobis non poſtulat Spiritus, quid petamus, nos fugit: cui nitamur conſilio, fallimur. Spectat ad nos animam tantummodò præparare. Dominus dirigit linguam: Spiritus excitat cogitata. In ſummo errore, & in maxima rerum ignoratione verſamur, cùm virtuti confidimus noſtræ, & noſtro nauigamus arbitrio. Digito Domini gubernamur; aura ſpiritus ad portum appellimus. Nullo modo Domini ãbulabimus vias, niſi Spiritus adornauerit iter. Sub vmbra illius, quẽ tandiù concupiuimus, nunquam ſedebimus, niſi Chriſti rapiemur odore. Chriſti currimus in odorem, & paſſionis eius luſtramus inſignia, cùm hortum meditamur in matutinis, vbi diuini ſanguinis decurrentis in terram adhuc vaporat odor, vbi mors oſculo latuit perſonata, & Sol à tenebris viſus eſt comprehendi; vbi exinanita eſt

numinis forma, & à diſcipulis derelicta perdoluit. Nondum armatorũ acceſſerat cohors, & ſanguis effunditur. Lignum nõ aderat crucis, & anima fit triſtis ad mortem. Miniſtrãt Angeli pacis calicem tormentorum, & propriæ voluntati non ſtatur. Dominus ſubijcitur ſeruis, & author libertatis vinculis mancipatur. Antea quem aſtra laudauerant matutina, tenebrarum traditur poteſtati. O ſpectaculum durum, & atrox! Hymno, quo victoria reſonabat, & laus, proditio conclamatur, & funus. Pſalmis, quibus choreæ ducebantur ad arcam, tumultus perſtrepit iudæorum. Reſpiciunt hymni vocabula veneficium oſculi, vinculorum amplexus. Transfertur pſalmorum cantus ad armorum ſonitum, ad ſatellitum fremitus. Quantum coquitur conſiliorũ, & fraudum, in ſecretis indicitur. Funes, opprobria, contumeliȩ, quæ primitiæ ſunt dolorum, ex antiphonis dignoſcuntur. Irriſiones, ludibria, immanitates, quibus nex deſignatur, ex lectionibus emicant. Refert proſequi lachrymis tantȩ impietatis memoriam. Debitȩ commiſerationis officium diſſimulare non poteſt, qui tot opera charitatis enumerat. E Domini metu proſilit noſtra ſpes: à laqueis numinis manumiſſionẽ auſpicamur humanitatis. Quot nodis conſtringitur Deus, tot ærumnis orbis terrarum exoluitur. Actũ eſſet de nobis, ſi ſpiritus oris noſtri Chriſtus Dominus in peccatis noſtris captus non eſſet. Nullum gloriæ radiaret in mundo lumen, niſi Sol iuſtitiæ Chriſtus cunctas tranſiſſet per

ignominias. Nobis illam dulciſſime Ieſu,quę prodiuit è forti, dulcedinem præparaſti? Gauiſus es in gemitu laborare, vt nos in paradiſum voluptatis adduceres. Paſſus es cruciatibus opprimi, vt nos eleuares ad gaudia. E' tuis ſudoribus hauſimus otia: Nobis elargitus es flores,& palmas;pro te ſeruaſti tantummodò ſpinas, & clauos.

De Prima. Cap. CXV.

HOra prima cernimus Chriſtum, tanquã victimam cędi propoſitam, per varia tribunalia, ad varios iniquitatum iudices ductum, non ſecus ac per nundinas accuſantiũ, & mortium officinas; quibus in locis ſonant reſponſa blaſphemias, innocentiã condemnatur ad virgas,& amictu ſtultitiæ ſapientia deridetur. Mendacij arguitur vox veritatis,ſupponitur culpæ iuſtitia,& virtutum omnium princeps comparatur inſanis. Speculum ſine macula ſputis impuriſſimis ſordet, bonitatis imago in opprobrium hominum cadit, & tenebrarum imperio captiuus ſubditur Sol. Neceſſe eſt, vt patiatur integritas, vbi dolis, & fraudibus dominatur improbitas. Ex improbitate producitur liuor, qui cœcum inſerit animo virus, & linguam, & manus accendit ad ſcelera. Laudem inſectatur alterius, & ſuos in aliena iactura nançiſcitur quæſtus. Nulli parcit calumniæ, & os attollens in cœlum in numine reperit prauitatem. Effinge crimina, molire calumnias,improba ſynagoga? Innocens reus oppoſitas cauſas confutat ſilentio. Diuinum cùm ſilet Verbum, elementa loquun-

loquuntur. Diuini reuerentiam Verbi ſidera, ſaxa profantur. Omnes furiarum implentur partes, Quanto dedecore, quanta labe ſputis commaculatur, qui ſemper candidus, & rubicundus extiterat! Puritatem, qua non eſt purior, inquinare delectat. Sed etſi in eo nō ſit ſpecies, neque decor; ab eo tamen charitas abeſſe non poteſt. Qui tandiū hoc vitæ genus amauit, amare non deſinet. Opus ei nec decōr, nec ſpecies eſt, qui formam induens ſerui, ſeruitutem à mundo duntaxat poſtulat ablegare. Mirabile quid ignotum ſuadet doctrina dilectionis! Pœnas nihili facit, dulcedinē carpit è forti, & ſubſtantiam deſpicit vniuerſam. Sponſus ſanguinum ad crucis nuptias tēdit, vbi tartarei Draconis conterenda eſt ſuperbia, vbi mortis confringenda ſunt arma.

De Tertia. CXVI.

ASpicit hora tertia ſpinis Regem gloriæ coronatum, columnæ ſolio innixum, in medio iniuriarum leges amoris ferentē, charitatis oracula promulgantem. E' columna fontes Saluatoris emanant: è ſpinis germina pullulant gratiarum. Illa quietis demonſtrat iter, vltra quam ſpes omnis eſt fallax; illę cōtinent verbum, quo facta ſunt omnia. O quot circundatur malis, qui ſanitatis eſt diſtributor! quot affligitur plagis, qui conſalator eſt vniuerſi! Columnę ſuſpenſum patientiæ trophęum apparet, quaſi lilium inter ſpinas. Vindex libertatis humanæ ſeruilem in morem conſtringi vinculis gaudet, ſibique ſeruari vult vepres, mūdo flores elargiturus. Sui ca-

pitis aurum optimum per ludibrium conuelli ſinit, dūmodò locupletetur humãitas: ſuorū bina oculorum ſidera ſordido velo fert deturpari, dummodò tota hominum plebs cæcitate ſoluatur. Ita titulum appetit Redemptoris, vt magis clamoribus iſtis, crucifige, crucifige, lætetur, quàm applauſibus illis, hoſanna filio Dauid. Regnum mundi non quærit, ſed vt Mundus regno reſtituatur, expoſcit. Impetu proprij ſanguinis illuc, vbi regnat iniquitas, conatur introducere ſanctitátem, hæredeſque inſtituere nititur, quos parricidij non agnoſcit expertes. Dediſcit leonis ferociam, & agni manſuetudinem induit. Heù quantum ab illo immutatus, qui in cœlo, & vbique terrarum eſt rerum voluptas, & gaudium. Hinc in noctem degenerare incipit dies, tota contremit tellus, & ſaxa ſcinduntur. Cœlum nigra ferrugine tegitur, & Angeli pacis amarè præparantur ad lachrymas. Vtinam, & vnoquoque nos die Chriſti ſanguini ſacroſancto largiſſimè pro cunctis effuſo paucarum etiam lachrymarum offeremus vſuram. *De Sexta.* Cap. CXVII.

VBi cubet, vbi paſcat ſponſus ſanguinum in meridie, vltra ſponſa doloris non quærat? Hora ſexta iam tandem cubat in cruce, paſcitur felle, & aceto. Clauis fultus languēſcit, ſpinis ſtipatus fatiſcit. Qui non habuit, vbi caput ſuum in preſæpio reclinaret, reclinat in cruce: qui cibum nactus in deſerto non eſt, experitur in ſpongia cibum, & potū. Nudatus eſt veſtibus, & totum terrarum or-

bem

bem tenebroſo circundat tegmine. Regis titulum, à quo ſemper in terris abhorruit, in cathedra tormentorum aſſumit. Medius inter latrones innumeras è faucibus orci prædas meditatur eripere, & crucis torcular calcans ſolus conatur omnes inebriare. Ad ſeipſum omnia trahens elatus à terra, concedit hoc vnum; vt de ligno vitæ comedant omnes, & pateant etiam hoſtibus oſtia gratiarum. O quę videt ab illa ſpecula! Futuram de longè proſpicit tempeſtatem, & cunctas Erebi machinas collapſuras. Suſcipe tamen, ô Sponſa, dilectum tuum, quem per vicos ſequuta es, & per plateas ſpecioſũ præ filijs hominum, ſpecie, & dignitate carentem, inuenis demum in gemitu laborantem, vt tuo dolori quiſquis dolor ſit impar, vt tuam ipſius animam doloris pertrãſeat gladius. Ad illius vltimos queſtus pacis Angeli flent amarè, & aſtra palleſcunt: ad tuos oculorum perennes fletus Templi cortina conſcinditur, & montium ſaxa ſoliditatis oblita franguntur.

De Nona. Cap. CXVIII.

QVoties nonam tetigerit horam Sol, reminiſcimur, derelictum à Patre, dolere Chriſtum, & inclinato capite emittere ſpiritum; tenebris cœlum obuolui, & terrę fundamenta nutare: montes colliſione confringi, rerumque vniuerſitatem flebiliter vlulare. Lachrymas inhibere quis poteſt, cùm ſaxa franguntur? gemitus diſſimulare quis valet, quando elementa nimio præ dolore vociferãtur? Nec lachrymoſior has hora, nec triſtior

In

in motu ſiderum vnquam fuit, qua ſuprema cœli poteſtas ligno confixa palleſcit. Obſcuritate lux circunfuſa laborat, & vita acerbiſſimo ſoluitur exitu; qua voces ſanguinis prouocant alatos ſuperum choros ad fletum: clamores plagarum excitant corpora, quæ dormierant; execrationumque blaſphemiæ Solẽ, & Lunam obcæcant. Noua Domini patet in monte transfiguratio, quæ gloriam tamen non redolet, ſed miſeriam. Charitatis diuinę comprehenditur magnitudo, & humanæ nequitiæ condemnatur impietas. Attritus eſt Deus propter ſcelera noſtra, quicquid furoris in humanum genus concipiendum, ſuo capite Diuinitas expiauit. Vita mundus non frueretur, niſi vitæ dator morti ſuccumberet. Noſtros tulit mundi inſtaurator languores. Ipſe pro nobis hoſtia cecidit in ſuauitatis odorem, & in pingue pro nobis holocauſtum ipſe conſumptus eſt. Quid ni ſtare nos pudet proſtrato Deo? Quid ni procidentes in terrã, & capiti puluerem imponentes perpetuò tantum luctûs deploramus excidium? Non dolemus nos filii acquiſitionis, cùm à Patre deſerimur, & morti adiudicamur æternæ. Amiſſo ſemel Deo, confeſtim amittitur vita. Exclamare nũc libet, quem funeris huius cura pietatis non turbat, ille durior ſaxis, non compoſitus elementis, nunquam conſcius rationis, ſemper lucis ignarus, compos dedecoris, cumulabitur pœnis, expers immortalitatis euaneſcet in nihil.

De

De Veſperis. Cap. CXIX.

VEſperaſcente die Pilati conceſſu corpus Chriſti diuellitur è patibulo; qui viuus eſt venditus, dono datus eſt mortuus. Perungitur æquè lachrymis, ac vnguentis: lachrymabilis, & pretioſa mors Numinis eſt. Munda inuoluitur ſyndone, nequidem extinctus immunditias ferre poteſt. Qui Patre iubente crucem aſcenderat, ex eadem, niſi alieno deſcendere recuſauit iniuſſu. Emerſus è pelago tormentorum, tandem in brachia matris inuenit portum. In ſtatione tàm tuta adeò procellarum potat obliuia, vt poſtridiè redux exurgat ad gloriam. Recenſet crinem, è quo tot vincula ſenſit, vt ſerui formam accipiens, vinctus ad terras traheretur è cœlo. Agnoſcit oculos, è quibus hauſit tot vulnera, vt nimia charitate langueret abactus. Repueraſcit genitricis in ſinu, ſed pro lacte lachrymas poſcit, inſtitiſque non tendit ad cunas, ſed ad tumulum. Oſcula non quærit, cùm nouerit initium mortis ab oſculo; pariterque aſpernatur amplexus, cùm in amplexibus nactus ſit laqueos. Exigit quauis hora tributum commiſerationis, & querelarum. Indignū eſt cōmiſeratione, & querelis non proſequi facinus illud, quod rerum vniuerſitas funeſto proſequitur apparatu. Fruſtra filium Chriſti ſe dicit, qui tantam Chriſti immerentis calamitatem non deflet; qui de tāti parentis ſęuiſſimo cruciatu querelas nō exprimit diuturnas, nequicquā expectat hęreditatē Chriſti ſupplicia hominum improbitatis ſunt argumenta:

in Chriſti vulneribus, errata totius leguntur humanitatis.

De Completorio. Cap. CXX.

HOra Cõpletorij, qua ſcripturarũ cõpleta ſunt omnia, Chriſti cadauer ſepulcro conditur alieno. Qui diuerſorio caruit naſcẽs, nec ſepulcrũ habere ſuum debebat extinctus. Mortis triumphator de ſepulcro nõ cogitat. Mortis victoria ſepulcrum victori pręparat glorioſũ. Neſcit in artubus numinis liueſcere liuor: emicat nitor è plagis: aſtrorum radios ſuperant comę pręcinctę ſpinis. Cernimus ſuper petrã Verbũ cecidiſſe diuinũ, & Solẽ latitare ſub lapide. Adhuc lapides flãmas amoris nõ ſenſerãt. Quis illos nũc neget flãmeſcere, ſi commoratur in illis cęleſtis amor, qui ignẽ venerat miſſurus in terras. Deerat hoc vnũ lapidibus, vt arderẽt, ſi paulò antè dolore fracti cęperũt molleſcere, quãdo mortaliũ pectora lapideſcere potuerũt. Mira virtus exibit è lapide: magna proueniet ex noui Adę ſopore felicitas! Exitũ tantę fortis mẽs humana non capit. E' latere noui Adę ſub lapide dormiẽtis ſpecioſa naſcetur Eccleſia, cuius gloria terrã reſonabit in omnẽ, extendetque cũ Sole manus, sãctitatis elargiẽs characterẽ, pignus offerẽs hęreditatis, & ius donãs adoptionis, & regni. Nulla vis inferorũ pręualebit aduerſus eã. Fruetur cõuerſatione cęlorũ, & charitate munita ſẽper augebitur, imperioq; creſcet, & dignitate. Fulgebit inter tenebrarũ obſcuritates impauida: inter hoſtiũ pugnas excellet inuicta.

Laus Deo.

A01146762Z